Universitätsbibliothek Paderborn

# Iosephvs hoc est, Sanctissimi Educatoris Christi Dom. Deiq. nostri in Terris apparentis, ac Æternæ Virginis Mariæ Sponsi Vitæ Historia

Stengel, Carl

Monaci, MDCXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42004

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

K
1
23

Th 2373.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

In

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MRA IHS IO:SEPH

# IOSEPHVS

hoc eſt,
Sanctiſsimi Educatoris
CHRISTI DOM. DEIQ. noſtri,
in Terris apparentis, ac
Æternæ Virginis MARIÆ
Sponſi

# VITÆ HISTORIA,

*Compendiò, quantum potuit, adumbrata,*
*ex fide dignioribus Auctoribus collecta.*

Collegii Societ. Jesu Paderb.

AVCTORE
F. CAROLO STENGELIO ORD. S.
BENEDICTI, MON: SS. VDALRICI
ET AFRÆ AVGVSTÆ VIND.
PROFESSO.

MDC XVI.



*Cum priuileg.* MONACI *Sac. Cæs. Maies.*
*Raph. Sadeler Chalcograph. tabulis æreis expreſsit et venū expoſuit.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# REVEREN-DISSIMO ET RE-LIGIOSISSIMO IN CHRI-ſto Patri ac Domino, D. GEOR-GIO, celeberrimi Monaſterij Weingartenſis Ordinis S. Benedicti Abbati digniſſimo, Domino ſuo colendiſſimo.

*F. CAROLVS STENGELIVS S. & F. P.*

INGRATVS meritò, vt ne dicam, videri improbus potuiſſem, REVERENDISSIME COENOBIARCHA, ſi humanitatem, quâ me immerentem, non ſolùm ſæpius in ampliſſimo tuo Cœnobio hoſpitem, verùm etiam ab-

 ſentem

ſentem aliquando complexus es, ne vel literario quidem munuſculo compenſare ſtuderem, quo gratias, quando nihil ampliùs neque tu expectare, neque ego referre poſſum, Tibi referrem im̃ortales, quod multis ęqué ac claris ſignis, me Tibi non vulgariter carum eſſe declaraueris. Nolui itaq; diutius ſilere Tuas virtutes, nec continere in ſinu illud animi gaudium, quia ſe Tibi carũ eſſe ſentit. Non equidem eget laude aut prædicatione meâ inſignis Tua virtus, & prudentia ſingularis, quam tum ex conſtãti famâ, tum ex præ-
clarè

clarè factis, quæ in reſtauratione celeberrimi tui Monaſterij non ſolùm murorum, verùm multò etiã magis morum & regularis obſeruantiæ patrâſti, & inde quaſi ex religioſiſſimo & doctiſſimo quodã aſceterio, in alia etiam loca colonias quasdam duxiſti, liquidò ſatis cognoui. Quibusrebus effeciſti, vt non ſolùm apud ſummos Eccleſiæ præſules, gratiam & fauorem tibi conciliares, ſed etiam apud præcipuos vtriuſque ſtatus Principes viros, maximam Tibi autoritatem comparares, vt ij etiam in grauiſſimis nego-

tijs, & difficillimis cauſſis expediendis, operâ & conſilio tuo vterentur.

Nos itaque, qui eiusdem tecum profeſſionis ſumus, omnem induſtriam eò cõferre oportet, vt quacunq; ratione poſſumus, religioſiſſimum tuum animum, tantum laboris, ſudoris & induſtriæ, ad Dei honorẽ, Benedictini Ordinis decus, ac animarum ſalutem promouendam, impendẽtem, omni genere monimentorum poſteritatis memoriæ conſecremus: non quod noſtro teſtimonio indigeas; ſed quòd alia nobis via nulla relinquatur, quâ ingrati

grati animi notam effuge-
re valeamus.

Igitur alij quidem, qui-
bus maior doctrinæ copia
eſt, alia Tibi maioris operæ
inſcribant: ego, qui nondũ
eiusdem facultatis ſum, vt
à me quicquam egregium
expectare debeas; ſcribam
tamen qualiacunque, & hi-
ſce munuſculis teſtabor
obſeruantiã ergà te meam.

Suſcipe ergò fronte ſere-
niore hanc D. IOSEPHI Ser-
uatoris noſtri IESV CHRI-
STI Patris nutritij vitæ hi-
ſtoriam, ruditer quidem
collectam; eam tamen ob
cauſſam eius inſcriptionẽ
maximè omniũ Tibi con-

uenire iudicaui, quòd peculiarem patronum ſanctiſſimum illum Patriarcham deligere, eiuſque in imitādo ſtudium ſibi proponere ſoleant ij, qui Religioſorum tyronum inſtitutioni præficiuntur: ita vt verè & citrà aſſentationem de Te Nos prædicare olim poſſe polliceamur; quod IOSEPHVS CHRISTO, hoc GEORGIVS ABBAS D. BENEDICTO, eiusque Familię. Ego interim operam dabo, vt ampliſſimæ atq; honorificentiſſimæ Tuæ de me exiſtimationi, quantum in me erit, reſpondeam: neq; quicquam ita difficilè & arduum

duum eſſe mihi videbitur, quo voluntati & autoritati Tuæ non morem geram: Tibiq́;, dùm vixero, à ſummo huius vniuerſitatis effectore ac gubernatore Deo, aſſiduis votis fauſta ac felicia omnia precabor: indignus quidem ego, cuius vota ab eo ſuſpiciãtur: tu digniſſimus, pro cuius ſalute atque incolumitate preces aſſiduò offerantur. Vale.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# AD LECTOREM.

PRopoſitum mihi fuit, Chriſtiane Lector, hoc paruo libello D. IOSEPHI vitæ hiſtoriam proſequi, eâ ferè methodo, quâ aliorum Sanctorum vitæ paßim conſcriptæ leguntur; ita tamen, vt nihil adducerem, quòd non ſacris literis conſentaneum eſſet, aut SS. Patrum, vel noſtri ſeculi grauißimorum Scriptorũ certâ & probatâ auctoritate firmari poſſet. Noueris autem à noſtro inſtituto longè alienum fuiſſe, Laudes & encomia prædicti Diui coaceruare, quorum paßim pleni libri omnium manibus teruntur. Quare qui ea deſiderat, poſt SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores, adeat eos qui conciones, ſermones, & Homilias conſcripſerunt, vel ex inſtituto laudes eius proſequuti ſunt, vtpo-

te, Ioſephinam Gerſonis, Hiſtoriam Ioſephi F. Ioannis de Fano Capucini. F. Iſidorum de Inſulanis de donis S. Ioſephi, F. Hieronymum Gratianum de Matre Dei Carmelitanum, de Laudibus S. Ioſephi, nuper etiam ex Hiſpanica in Germanicam translatum, & apud nos editum. P. Morales Societatis IESV in 1. caput Matthæi, P. Ioannem de Carthagenâ Ordinis Minorum tomo ſecundo Homiliarum libro quarto. & innumeros alios. Vale, & Deum pro nobis precare.




RADIX IESSE.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# D. IOSEPHI PATRIA, PARENTES, SANCTA NATIVITAS, Nomen, Genus, Cognatio.

## *CAPVT I.*

QVANQVAM apud omnes in confeſſo ſit patriæ nobilitatem nonnihil ad hominũ nobilitatem, gloriam & honorem facere, tamen & illud negari non poteſt, ignobiles ſæpè locos, ortu clarorum & illuſtrium virorum inſigniter nobilitatos. Quis dubitat Stagyram quantumuis ignobilem Græciæ vrbem, quod Ariſtotelis tamen natale ſolum fuit, redditam celeberrimam? Idipſum ciuitati Nazareth Ioſephi noſtri patriæ diuinitus euenisse,

niſſe, abſque vllâ dubitatione, firmiter credendum puto. Erat hæc adeò deſpecta, vt Nathanael, vir inſignis diceret: *à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* poſtquam tamen B. Virgo & Ioſeph in eâ nati, & filius Dei in eadem carnem aſſumens, conceptus fuit, omnes totius orbis ſplendidiſſimas, ac opulentiſſimas ciuitates longo interuallo ſuperauit, ita vt D. Hieronymus, *florem Galilææ* illam vocet, & Andreas Hieroſolymitanus Epiſcopus, ſermone de Annunciatione, terreſtri paradiſo illam conferat, dicens: *Nazareth Eden hortum æmulata, ipſius Eden conditorem ſinu ſuo complectitur.* Sita eſt Nazareth in prouinciâ Galilææ, quæ eſt regio terræ Palæſthinorum, & clauditur ab ortu Syriâ, ab occaſu Phæniciâ, à Septentrione Libano monte, & Tyrorum finibus, & à meridie

*Ioan 1.*

*Nazareth patria Ioſephi.*

Samariâ

Samariâ per lineam ductam à Ptolemaidis territorio in Schytopolim: Eſt autem regio fertilis; & intermedio monte, ampliſſimos habet campos: vnde de illâ, & de gentium in eâ, habitantium naturâ & indole Ioſephus ita ſcribit: *Sunt pugnaces ab infantiâ Galilæi, & omni tempore plurimi, neque aut formido vnquam viros, aut penuria regiones illas occupauit, quoniam totæ optimæ & fertiles ſunt.* Porrò hanc Galilæam multi duplicem fuiſſe affirmant, ſuperiorem & inferiorem, ſuperior à fontibus Iordanis in Genneſareticum lacum deſcendit, terram Zabulon, & Nephtalim complectens, ſicut Matthæus Euangeliſta ex Prophetæ Iſaiæ auctoritate comprobat, ſic dicens: *Seceßit* (de Chriſto loquitur) *in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum in finibus*

*Ioſ. de bello Iud. li. 3. cap. 2.*

*Galilæa duplex.*

*Matth. 4.*

*finibus Zabulon & Nephtalim, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephtalim via maris trans Iordanem Galilææ gentium.* Per hanc eſt via publica ab Aſſyrijs in Tyrum ad mare mediterraneum. Cognominatur autem hæc a Propheta *Galilæa Gentium*, quia non modica eius pars donata fuit à Salomone Hyram Regi Tyri, Inferior reliqua Galilæa eſt, quæ Lacui & Tiberiadi vſque in regionis finem meridianũ imminet, montem Carmelum complectens; & in hac eſt ciuitas Nazareth, quæ fuit patria Ioſephi, in qua ipſe non ſolùm natus, & nutritus fuit, ſed etiam habitauit; meritoq; S. Ioſephus debuit eſſe ex patria Nazareth, quæ inter alias interpretationes, *cuſtodia & ſeparatio* interpretatur; cum & Chriſti infantis & Mariæ virginitatis ſingula-

*Galilæa gentium.*

gula-

gularem cuſtodiam habiturus eſſet; & ab ſponſa, licet alioquin matrimonij vinculo cum eá cō-iunctiſſimus, quoad thorum tamē ſeparatiſſimus futurus ſemper foret. Alias ſignificationes, vtpote quòd Nazareth vocabulo ſignetur flos, ſanctitas, conſecratio, vnctio & mūditia parum moramur, & ſtudioſum Lectorem ad ſacros interpretes ablegamus, Interim tamē & hoc monemus, non paucos exiſtimaſſe patriam S. Ioſephi fuiſſe Bethlehem, propter teſtimoniū Iuſtini Martyris, qui in dialogo cū Triphone Iudæo de Ioſepho agens, ait: *illum à Nazareth, vbi domicilium habebat, aſcendiſſe in Bethlehem veterem patriam, vt nomen profiteretur.* Verùm hoc fundamentum futile eſt, quia Iuſtinus martyr non appellat Bethlehem, antiquam Ioſephi patriam, quòd ex

*D. Hiero. ad Marcel. Bern. Buſt. Mar. p. 5 ſerm. 3. de Annunc.*

*Quidam patriā Ioſephi exiſtimarunt eſſe Bethlehem.*

*Iuſt. Mart. cum Triphone.*

ea fuerit oriūdus, ſed ſolùm, quia maiores eius indè erant, quos, ibidem ait Iuſtinus, eſſe ex tribu Iuda, cuius ſortis illud Bethlehemiticum oppidum fuiſſe teſtatur. Sed Nazareth patriam Ioſephi fuiſſe, teſtantur etiam. P. Ioannes Maldonatus, P. Petrus Morales, & P. Ioannes de Carthagena, quibus etiam ratio ipſa ſuffragatur.

*Maldon. c. 13. Matth. n. 54. Morales lib. 2. tract. 8. n. 9 Carthag. li 4. hom. 3.*

*Parentes Ioſephi.*

Qui autem fuerint D. Ioſephi parentes, non eſt concors omnium ſententia: nam licet Matthęus diſertis verbis affirmet, Ioſephum filium eſſe Iacobi, dicens: *Iacob autem genuit Ioſeph*: cui minimè refragatur Lucas, dum ait: Heli fuiſſe patrem Ioſephi; nam ille patrem naturalem, hic legalem deſcripſit; Qninam verò fuerit hic pater legalis, non parua diſſenſio reperitur apud Doctores; quidam enim concedunt, il-

*Matth. 1.*

*Luc. 3.*

lum

lum fuiſſe vterinum fratrem Iacob; alii verò probabiliter valdè putant, patrem legalem Ioſephi fuiſſe naturalem patrem beatiſſimæ Virginis, qui binomius fuerit, hoc eſt, duplici nomine, *Heli* & *Ioakim* appellatus, qui propterea à S. Euangeliſta Luca pater Ioſephi nũcupetur, quia ſocer eius erat. Moris enim eſt in ſacrâ ſcripturâ, generos, filios nominare. Tertia opinio ſingularis eſt R. D. Franciſci Lucæ, qui autumat per *Eli* non ſignificari Ioachimum PatremB. Virginis, ſed ipſius matris Annæ patrem, præſertim dum ita ſcribit: *Atqui propter ea, quæ magis ſolida eſſe iudico, Matth. 1. v. 16. à me dicta, præcipuè verò quòd promiſsiones Dauidi factas de gignendo ex ſe per Salomonem Chriſto, veriſimile ſit, impletas potius per lineam patris Mariæ, quàm per lineam matris; ego malim intelligere, hunc Eli auum*

*Comment. in cap. 1. Matth. & Luc. 3.*

*fuiſſe B. Mariæ, patrem Annæ; & poſtquam ab Euangeliſta Matthæo deſcripta eſſet genealogia Mariæ ex latere paterno, ex parte inquam patris Ioacim; Lucam à B. Virgine admonitum, deſcribere genealogiam ex materno latere, ex parte inquam matris, Annæ: ſed cum Hebræis in vſu non eſſet fæminas in ordine generationis recenſere, ac proinde non magis Anna hîc nominãda eſſet quàm Maria, primùm nominatum fuiſſe Annæ patrem, Eli. Itaq; Ioſeph dicatur filius fuiſſe Eli, quia maritus Mariæ, quæ fuit neptis Eli, ac proinde ipſe ſuo modo nepos Eli, affinitate ſcilicet. nec enim vel illud præter morem eſt, quod nepotes dicantur filij & filiæ auorum. Quod ergò à Luca Ioſephi pater dicitur fuiſſe Eli, cùm Matthæus dixerit fuiſſe Iacob, nulla repugnantia eſt: Iacob enim naturâ Ioſephi pater fuit, Eli autem affinitate conſuetudineq; coniugij.* Alibi etiam, nimirum in caput primum Matthæi, poſt

multa

multa diſſertationem ſuam ita concludit: *Quo argumento etiam adducor vt credam, Mathan potius fuiſſe auum Mariæ paternum quàm maternum, id eſt, fuiſſe patrem Ioacimi potius quàm Annæ; atq; hîc deſcribi genealogiam Mariæ ex latere paterno, ita vt Iacob pater Ioſephi, fuerit frater Ioacimi patris Mariæ. Non enim veriſimile eſt, vbi vir & fæmina concurrere habebant, promiſsionē Dauidi factam, præſtitam eſſe per fæminam, interruptâ lineâ virili. Mens igitur Euangeliſtæ eſt, vt intelligatur, Mathan fuiſſe auum, vt Ioſephi, ita & Mariæ, proauum autem IESV: ac proinde omnes qui hac genealogiâ enumerantur, excepto Ioſeph, eiuſq; patre Iacob, fuiſſe veros ac proprios progenitores maioresq; Mariæ & IESV, prout mutuò ſibi ſucceſſerunt, ex quibus IESVS natus ſit ſecũdum carnem.* Quæ omnia fuſius apud ipſũmet Auctorem leges. Nos igitur ad eius mentem ge-

*Genealogia D. Ioſephi & B. Virginis.*

nealogiam D. Ioſephi, imò etiam D. Virginis, & per conſequēs ipſius Chriſti ex vtroque Euangeliſta Matthæo nimirum & Luca deſcripturi, per lineā rectam à Dauide deducemus, hoc interim cum eodem admonentes, quādoquidem complurium diuerſa eſt ſententia, per *Nathan* intelligendum filium Dauidis naturalem non adoptiuum, qui fuit Dauidi *natus Ieroſolymis ex vxore Bethſabee, 2. Reg. 5. 1. Paral. 3. Non fuit igitur adoptiuus Dauidis filius, ſiue is qui Prophetam egit apud Dauidem, ſiue filius aliquis Vriæ Hethæi: id enim impium ſit aſſeuerare, nam ſic decipiat Euangeliſta, vt qui non doceat, id quod præ ſe fert, ex ſemine Dauid ſecundum carnem eſſe Dominum IESVM, ſed omninò ex alieno ſemine. Dauid volens teſtatum facere mundo, charum gratumq́ ſibi eſſe correptorem ac animaduerſorem ſuum, Nathan in-*

*Frāc. Luc. in cap. 3. Luc.*

*quam*

*quam Prophetam; vni ex filyſs ſuis, nomen illinc dedit.* Hæc ille.

Genealogia illa à Dauide ſic deducitur.

Per Salomonem. Ieſſe Per Nathan.

Dauid — Betſabæa.

| *Matth.* 1. | *Luc.* 3. |
|---|---|
| Salomon. | Nathan. |
| Roboam. | Matthata. |
| Abia. | Menam. |
| Aſa. | Melcha. |
| Ioſaphat. | Eliachim. |
| Ioram. | Ionas. |
| | Ioſeph. |
| | Iudas. |
| | Simeon. |

*Hi tres in ordine à S. Matthæo omiſſi cauſam vide ibid.*

Ochozias.

Ioas.

Amaſias.

Ozias.

Ioatham.

Achaz.

Ezechias.

Manaſſes.

Amon.

Ioſias.

Iechonias, ſiue Ioakim.

Leui.

Matthat.

Iorim.

Eliezer.

Ieſo.

Her.

Elmadam.

Koſam.

Addi.

Melchi.

Neri.

Salathiel.

Zorobabel.

Reſa.

Iohanna.

Iechonias ſiue Ioachin.

Salathiel.

Phadaia.

Zorobabel.

Abiud.

Eliacim.

Azor.

Sadoch.

Achim.

Eliud.

Eleazar.

Iudas.

Ioſech.

Semei.

Mathatias.

Mahath.

Nagge.

Hesli.

Naum.

Amos.

Mattathias.

Ioſeph.

Ianne.

Melchi.

Leui.

Matthiat.

Máthan. Heli.

Iacob. Ioachim. — Anna.

Ioſeph. — Maria.

Iesvs Christvs.

Sunt tamen qui tradant, Ioſepho & Mariȩ, non auum, ſed auiam vnam communem fuiſſe, Eſtham nomine, quæ ex priore marito Mathan, deſcendente ex Salomone, ſuſceperit Iacobum patrem Ioſephi; ex poſteriore Mathat, deſcendēte ex Nathan, ſuſceperit Eli ſiue Ioacimum patrem Mariæ, hac ratione.

Mathan. — Eſtha. — Mathat.

Iacob. Heli ſiue Ioachim.

Cleophas — Ioſeph. — Maria.

Christvs.

Sed refellitur hæc opinio à R.D.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. D. Franciſco Luca hiſce verbis. *Atqui, ſi Mathan auus non ſit communis, ſed Ioſepho proprius, ac proinde ſanguine non attingens Mariam & IESVM: ergò nec Eleazar proauus IESVM & Mariam attingit: neque enim potuit Eſtha nupta fuiſſe duobus fratribus, quandoquidem ex priore ſuſtulerit filium. Potuiſſet abauus Ioſeph, nomine Eliud, fuiſſe & Mariæ abauus, ſi Mathan prior Eſthæ maritus fuerit Eſthæ patruelis: ſed vt nihil ea de re liquet, ita non facilè dici & inſcribi poteſt, genealogiam eſſe IESV, in qua nec pater, nec auus, nec proauus ſanguine attingunt IESVM. Præterea vt per fæminam Eſthæ lineam, IESVS deſcendat ex Dauide & Salomone, minus ſatisfacere videtur magnificis illis Dauidi & Salomoni datis promiſsionibus:* Hucuſque ille: ſequuntur deinde, quæ nos ſupra iam retulimus.

*Comment. in 1. cap. Matthæi.*

De

*Cognati D. Ioſephi.* De reliqua cognatione eius hoc loco id tantum obiter notandum, quoſdam, qui & fratres Domini dicti ſunt, putatos à nõnullis filios D. Ioſephi, ex aliâ tamen vxore, quam D. Virgine natos, quæ tamen ſententia vbiq; iam reiicitur. Communis & vbique ferè recepta opinio eſt, fuiſſe illos quatuor, nimirum Iacobum, Ioſe, Simonem & Iudam, filios Cleophæ, fratris Ioſephi, & Mariæ dictæ Cleophæ ſiue Iacobi: dictos verò fratres Domini, hoc eſt, compatrueles, quia nepotes Ioſephi ex fratre; apud quem vnà cum Chriſto ſunt educati, & ita eius fratres putati, ſicut & Ioſeph putatus eſt pater.

*Fratres Domini quinam?*

Eorum genealogia ſic deſcribitur:




Conſtat itaque D. Ioſephum non ſolum ex Dauidica proſapia omnium nobiliſſimâ ( vtpote in qua complures potentiſſimi Reges fuerint ) deſcendiſſe, verùm etiam ſanctitate præſtantiſſimos viros cognatione proximè attigiſſe, atq; adeò ipſum non ſolùm ſanguinis, ſed & virtutũ Dauidis legitimum extitiſſe hæredem, vt D.Bernardus dicere non dubitârit. *Verè de domo Dauid, verè ex regiâ ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph, nobilis genere, mente nobilior, planè filius Dauid non degenerans à Patre ſuo Dauid, prorſus, inquam, filius Dauid non*

*D. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.*

*tantum*

*tantùm carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed deuotione.* Hæc de generis nobilitate dicta ſufficiant, varias controuerſias hic proſequi non eſt noſtri inſtituti, nam eſſet actũ agere, cum integri de illis tractatus apud diuerſos conſcripti reperiantur: pergo ad alia.

*D. Ioſephus ſanctus ex vtero.*

*Bar. lib. 6. cap. 8.*

Sunt qui tradunt eum in vtero ſanctificatum, quod tamen, vt ait P. Barradius, infirmum habet fundamentum. Tradidit illud inſignis ille Cancellarius Pariſienſis, Gerſon, qui rem hanc altius repetens, in hunc modum loquitur: *Sicut decuit, vt Virgo ſummâ puritate niteret, ſic decuit, vt haberet ſuo modo parem ſponſum puriſſimum, qui cum perpetuâ Virgine virgo permaneret; vterque regali progenie illuſtris, vterq; ſanctificationem in vtero recipiens, cum Maria plena gratiâ fomitem reprimente manſit Ioſeph repletus gratiâ, peccatum mortale quod-*

*Ger. ſer. de nat. B. Virgin.*

*libet*

*libet ſuperante:* Huic etiam ſententiæ de ſanctificatione in vtero adſtipulatur Epiſcopus Chriſtopolitanus, & D. Eggius in ſermone de S. Ioſeph; Eaq; ratio illi ſuffragatur, quia ſi Hieremias ad vaticinandum & prædicandũ de Chriſto, & Ioannes Baptiſta ad eum baptizandum, & digito commonſtrandum ſanctificati fuêre in vtero materno, non eſt à ratione alienum, vt qui manibus frequenter per multos annos contrectaturus eſſet ſacratiſſimũ corpus Chriſti, ſanctus eſſe inciperet ab vtero matris ſuæ. *Iac. de Valent. in Cant. Virginis.*

Nec mirandum, quod D. Ioſephum Dei genitricis ſponſum piè credamus in vtero ſanctificatum, ait P. Ioannes de Carthagena, cum & idem ſingulare priuilegium de alijs permultis ſanctis à grauiſſimis auctoribus creditum fuerit. De Iacobo enim mino- *Quinam in vtero ſanctificati fuiſſe credantur. P. Cartha. li. 4. hom. 3.* Iacobus minor.

*Egeſip. lib. 5. cõment. Euſ. Cæſa. Metaphr. ſer. de S. Iacobo.* minore id exiſtimârunt Egeſippus, Euſebius Cæſarienſis, Simeon Metaphraſtes, & Petrus Epiſcopus Aquilinus in eius vitâ; deinde de D. Nicolao & Do- D. Nicolaus & Dominicus. minico idipſum quidã aſſeruerunt, vt auctor eſt D. Antoninus in hæc verba; *Legimus Hieremiam* *D. Anton. 3 par. ſum. tit 18. c. 5. §. 6.* *ſanctificatum: aliqui hoc etiam credunt de D. Nicolao, qui natus ſtetit rectus, & de B. Dominico, qui iam in cunis egrediens lectum, iacebat in terrâ.* Immò & D. Hieronymus S. S. Aſella. Aſellam, affirmat in vtero matris ſanctificatam, id referente Card. Baronio in ſuo Martyrologio: ac tandem idipſum tradit de S. S. Georgius Epiſc. Suellenſis. Georgio Epiſcopo Suellenſi Frater Dimaſerpi in apodixi ſanctitatis S. Georgij. De D. etiam S. Paulus. Paulo ſanctificatũ fuiſſe in vtero materno, auctores id aſſerentes anſam ſumunt à verbis D. Pauli: *Gal. 1.* *Cum autem placuit ei, qui me ſegre-*

*gauit ex vtero*: nec obſtat, aiunt, quod perſecutus fuerit Eccleſiam Dei, *quia* (ipſe ait) *ignorans feci.* Immò vt idem S. Hieronymus, D. Bernardus, D. Auguſtinus, & Anaſtaſius Nicænus rurſus non ſolum in lege gratiæ, ſed & tempore legis naturæ & ſcriptæ, nonnullos fuiſſe ſanctificatos referunt non infimi nominis Doctores: nam de Iacobo nobilis auctor Comeſtor ſuper hiſtoriam Geneſeos ait: *Creditur in vtero ſanctificatus fuiſſe Iacob, & in colliſione infantium præfiguratum, quod non eſſet conſenſus Chriſti ad Belial.* Et Dionyſius Carthuſianus, dum verba illa cap. 28. *Ero cuſtos tuus, quocunque perrexeris*, explicat: *Magna* (inquit) *promiſsio, ex qua ſequi videtur, quod Deus in omnibus præſeruauit Iacob deinceps à culpâ mortali, forſitan & antè, maximè, cum credatur ſanctificatus in vtero*, &

*S. Hier. ſuper cap. 1. ad Gal.*
*D. Bernar. ep. 174.*
*S. Auguſt. ep. 57.*
*Anaſt. Nicæn. in qq. ſac. ſcr. to. 6. biblioth. SS. PP. q. 59.*
Iacob Patriarcha.
*Comeſt. cap. 66. hiſt in Gen.*

cap. 25. Auguſtinum in hanc ſententiam ducere contendit; in eâ fermè eſt Ambroſius: *Negent* (inquit) *Iacob ſanctum fuiſſe, priuſquam naſceretur, qui fratrem ſupplantauit in materni adhuc vteri poſitus arcano.* Ex opinione S. Ephræm Moyſes addi poteſt: *Surſum* (inquit) *diſcipulos ducit in montem, & oſtendit eis, ſe non eſſe Eliam, nec Moyſen, ſed Deum Eliæ, & qui ſanctificauit Moyſen in vtero matris.* Sampſonem quoque annumerandum illa verba ſuadere quidam putant: *Erit Nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ, & ex matris vtero.* De Dauide idem ſenſiſſe D. Bernardum, non obſcurè innuunt verba illa: *Videris etiam tu, an & de S. Dauid idipſum liceat opinari, pro eo quod dicebat Deo: In te, ait, confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. Item: De ventre*

*D. Ambr. lib. 4. de fide, cap. 4.*

Moyſes Propheta.

*Ephr. in orat. de transfig. Chriſti.*

Sampſon.

*Iud. 13.*

Dauid rex

*D. Bern. ep. 174.*

*Pſal. 70.*

*De ventre matris meæ Deus meus es tu; ne diſceſſeris à me.* Porrò D. Ioſephi extat & aliud ſanctitatis teſtimonium apud S. Brigittam, vbi Deipara Maria eidem dixit: *Ioſeph nullum verbum non bonum protulit, nec ocioſum, nec murmurationis; erat enim patientiſſimus, diligentiſſimus in labore, & paupertate, manſuetus iniuriantibus, obedientiſſimus obſequijs meis, conſtans contra meæ Virginitatis impugnatores, fideliſſimus teſtis mirabilium Dei, mortuus carni & mundo, non niſi cæleſtia deſiderabat: dicebat, ſi velit Deus me viuere, vt eius voluntatem videam adimpletam, rarò erat in hominum congregatione; ſolùm deſiderabat Dei voluntati obedire, ideò eius gloria modò magna eſt.* Hæc ibi.

*Pſal.21.*

Ioſephus quàm ſanctus.

*Brig. lib.6. reuel. c.59.*

Natus eſt D. Ioſephus, juxta Augustini

Plures auctores, qui aſſerunt D. Ioſephũ in matris vtero ſanctificatum leges apud P. Morales lib 3. tract. 2. n.13.

*Quando natus?*

guſtini Tornielli calculationem, anno ab orbe condito, quater milleſimo duodecimo, Imperij Octauiani Cæſaris à primo conſulatu, anno ſecundo. Octauo poſt die circumciſus, non ſine diuina diſpẽſatione Ioſephi nomen tulit, quod *augmentum* ſeu *incrementum* ſignificat, vt multi volunt: & ipſi ſatis conuenire noſcitur; tùm quia cum alij ſponſi virginitate minuantur, ipſe per matrimonium cum beatiſſima Virgine Maria, virginitatis & aliarum virtutum ſingulare incrementum ſuſcepit; tùm etiam, quia ad tanti honoris culmen aſcendit, vt & Chriſti pater nominaretur, & Dei Genitricis verus maritus eſſet, quod non ſolùm imperialem, ſed & Apoſtolicam dignitatem longè antecellit, Præterea ſignificat Ioſeph Hebraicè (ſi credimus illius idi-

*Nominis Ioſephi varia interpretationes.*

omatis peritis) *pulchram arborem*, quod & Ioſepho mirificè congruit; cum ſub protectionis eius vmbraculo melius ac ſecurius, quàm animantia ſub Danielis arboris vmbra, IESVS & Maria requieuerint, & à rapacibus Herodiani accipitris vnguibus, ſuâ protectione ipſe eos liberauit. Alij tamen ex Hebræo contendunt ſignificare *filium fructiferum* vel *creſcentem iuxta fontem*, vel *iuxta oculum*: vnde Pagninus vertit, vt *Ioſeph* idem ſit, *quod ramus fructificans iuxta fontem*, vel *iuxta oculum*, quod & noſtro Ioſepho rectè congruit; nam infans ille, quem ipſe complexabatur, cuius pedes ſæpè oſculabatur, iuxta quem ſedebat, dormiebat, vigilabat, ac permulta virtutũ opera exercebat; omnium bonorũ fons erat vberrimus; Benè ergò iuxtà fontem creuiſſe dicitur Io-

*Dan. 4.*
*Matth. 2.*

ſeph, vel iuxta oculum; iuxta oculos enim Chriſti verſabatur, quem ipſe vt pupillam oculorũ ſuorum diligebat.

Quatuor Ioſephi nomine celebres viri in ſacris litt.

Porrò & hoc obſeruandum quatuor inſignes viros Ioſephi nomine inſignitos in ſacris litteris commemorari: Ioſephum

*Gen.*30.

proregem Ægypti, Ioſephum

*Matth.* 27

ab Arimathæa, qui Chriſti ſepulturæ operam dedit, Ioſe-

*Actor.*1.

phum Barſabam, ſuper quem ad Apoſtolatum miſſæ ſunt ſortes, & Ioſephum Virginis ſponſum, quos etiam omnes *Iuſtos* cognominant; nam Sapiens loquens de Patriarcha Ioſeph, ait:

*Sap.* 10.

*Hæc venditum Iuſtum non dereliquit.*

*Luc.*23.

De Ioſeph ab Arimathæa Lucas ait: *Vir, nomine Ioſeph, qui erat Decurio, vir bonus & iuſtus.* De Ioſeph

*Act.*1.

Barſaba Lucas ſcribit: *Ioſeph, qui cognominatus eſt Iuſtus.* Ac tandem Matthæus Euangeliſta de

noſtro

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

noſtro Ioſepho ſermonem inſtituens, ait: *cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere.* At noſtri Ioſephi iuſtitia tantum illorum iuſtitiam, quantum & dignitas antecelluit; maximè ſi abſque lethali crimine ( vt docet D. Auguſtinus) vitam tranſegit; & fomitis peccati ardor in eo penitus fuit extinctus, vt tradit D. Iſidorus; & in ventre materno fuit ſanctificatus, vt docent Cancellarius Pariſienſis, & Epiſcopus Chriſtopolitanus, quibus moderni non pauci conſentiunt.

*Matth.1.*

*D. Aug.li. 6. de natura & gratia.*

*D. Iſidor. in ſumma*

*Ioan. Gerſ. ſer. de nat. Virg. & in Ioſeph.*

*Valent. Ep. Chriſt. ſuper Magnificat.*

## *D. Ioſephi vitæ integritas, fabrilis ars, & cum beatiſſima Virgine deſponſatio.*

## CAPVT II.

INtegerrimam B. Ioſephum ab ineunte ætate ſemper vitam duxiſſe, & à peccato mortifero

munem extitiſſe, vel illa ſatis euincunt, quæ ſuperiore capite iam adduximus. Addi poſſunt & alia SS. Patrum teſtimonia, vt D. Damaſceni, qui ait: *Ioſeph inuiolatam legem ad ſenectutem vſque ſeruauerat.* Et Nicephorus ita ſcribit: *Ioſeph ſenio, & honeſtate morum, iam pridem bonæ fidei exiſtimationem conſecutus erat.* Illud tamen apud pleroſq; in dubium vertitur an præter Virginem, aliam coniugem habuerit; bigamum enim fuiſſe, & filios ex prima vxore procreaſſe, conſtanter affirmârunt D. Epiphanius, Gregorius Nyſſænus, D. Hilarius, Ambroſius, Origenes, Theophilactus, Euthymius, Euſebius Cæſarienſis, & Nicephorus Calixtus; alij verò Patres è contra candidius de no-

*Damaſc. orat. I. de dormit. Virg.*

*Niceph. l. I. cap. 7.*

Ioſephus an filios habuerit.

*D. Epiphanius hær. 28. Greg. Nyſſ. orat. 2. de reſurrect. Hilar. can. I. in Matt.*

*D. Ambr. ep. ad Gal. & de inſtit. Virg. c. 6. Orig. in cap. Matth. Theoph. in c. 23. Matth. Euthym. in eund. c. 20. & 27. Euſeb. Caſ. hiſt. l. 2. c. I. Niceph. hiſt. lib. 2. c. 3.*

ſtra

ſtro Ioſepho iudicãtes, non modò ante coniugium cum Virgine vxoratum aut filios habuiſſe abnegãt, ſed & integerrimum ſemper & Virginem fuiſſe, ingenuè fatentur; hi ſunt, D. Hieronymus, D. Auguſtinus, S. Theodoretus, D. Anſelmus, Venerabilis Beda, Rupertus, Hugo Victorinus, D, Thomas, B. Petrus Damianus, Chryſologus, Alcuinus, & communi conſenſu Scholaſtici Doctores. Atque hanc tantorum Patrum ſententiam, reliquorum omnium etſi grauiſſimorum Doctorum opinioni, vti rationi magis conſentaneam omninò præferendam ducimus; valdè enim decebat, cum ille, *qui paſcitur inter lilia*, frequentiſſimè paſci deberet, & inter Mariam & Ioſephum, & ab eis paterno affectu infantile eius corpus ſæpiſſimè contrectari, vtrumque

*D. Hier. li. contra Helvid.*
*D. Aug. de Natiu. Do.*
*D. Theod. in ep. Gal.*
*S. Anſel. in cap. 20. Matth.*
*Beda in c. 2. Ioan.*
*Rup. in c. 1. Matth.*
*Hugo Vict. in lib. de Maria coniugio.*
*Petrus Damian. ep. 11 cap. 4.*
*D. Thom. ſup. 1. epiſt. Gal.*
*Chryſol. ſer. 175.*

Vir-

virginem eſſe, & angelicis ſpiritibus puriorem; Decebat etiam S. Ioſephum maximè liberum & expeditum eſſe à filiorum curâ, & obligatione illis neceſſaria prouidendi, vt miniſterium Matri & filio inſeruiendi ſuſciperet, & vt ad eorum protectionem propriam patriam relinqueret, & in longinquam Ægypti plagã proficiſceretur; Sicut enim dixit

1. Cor. 7. Apoſtolus: *Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*, ita ſimiliter pater filios habens, neceſſe eſt, vt ſolicitum eorum curam gerat, & conſequenter juxta Paulinã ſententiam diuiſus erit; ad id ergò vitandum, omninò oportebat Ioſephum filiis carere. Quare, vt multa paucis concludamus, ſit nobis B. Petri Damiani ſententia inſtar omnium, qui diſertis verbis dicit: *hanc eſſe Ec-*

*cleſia*

*cleſiæ fidem*. Sed & his inſuper tam piè quàm ſapienter ſuperaddunt D. Auguſtinus, Angelicus Doctor, & Cancellarius Pariſienſis, Ioſephum non ſolum perpetuam Virginitatem coluiſſe, ſed eandem nuncupato voto in cõſortio Virginis conſecrâſſe, quod & docuit Abdias Babylonicus, qui tempore Apoſtolorum vixit, in vita SS. Simonis & Iudæ. Nec deſunt rationes moraliter euidentes, eandem Ioſephi virginitatem ſtabilientes. Nam ſi Chriſtus in cruce moriturus, matrem ſuam Virginem iam in ætate prouectâ non niſi Virgini Ioanni commẽdare voluit, quomodo eam in iuuenili ac tenerâ ætate Ioſepho commendaſſet, niſi ille virgo eſſet? Vnde Gerſon in ſuâ Ioſephinâ ſic cecinit:

*Corrupto nũquid fuerat ſociãda puella,*
*Quæ grandæua fuit ſoli cõmiſſa Ioanni?*

Ioſephum caſtitatem vouiſſe.

*D. Aug. Vt habetur 27 q. 2. tit. 15. c. 23.*
*D. Tho. 3. p. q. 38. art. 4.*
*D. Anton. 4. p. Theol.*
*Gerſon in annot. ſup. ep. ad Gal. cap. 1. & ſer. de nat. Mar. cõ. 3.*
*Caniſ. lib. 2. de Deſp. cap. 13.*
*Ioan. 19.*

Item

Item, ſi Chriſtus Dominus adeò Virginitatis amatorem ſe exhibuit, vt non contentus virginitatem ſeruare, voluerit de Virgine naſci, virgineo lacte nutriri, virgineo ſinu foueri, præcurſorem virginem habere, à virgine Martha hoſpitio recipi, & ſibi miniſtrari, in ſepulchro virgineo, *in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*, ſepeliri, ac tandem in cæleſti patriâ virgineis choris ſeptus incedere: *Qui ſequuntur agnũ quocunq; ierit*: quis ſibi perſuadeat eum, *qui paſcitur inter lilia*: Ioſephum elegiſſe in patrem ſuum adoptiuum, & matris ſuæ ſponſum & cuſtodẽ, niſi Virgo eſſet?

Ioſephum fabrum lignarium fuiſſe.

Quodnam verò officium fuerit D. Ioſephi, aut quam artem exercuerit, cum ex ſacris monumentis non aliud deduci poſſit, quàm fabrilẽ artẽ eum exercuiſſe; Ars fabrilis verò generica vox ſit

ſit, hinc eſt, quod Patres in varias abierint ſententias, quænam ſpecies fabrilis artis illa fuerit? nam D. Hilarius, S. Leander Archiepiſcopus Hiſpalenſis, S. Anſelmus, S. Iſidorus, & Beda, nec non & S. Petrus Chryſologus Ioſephum fuiſſe fabrum ferrarium affirmant; D. verò Ambroſius docet Ioſephum peritum fuiſſe in vtrâque arte ferrariâ & lignariâ, & in alijs pluribus. At D. Auguſtinus tradit, Ioſephum non abſque ſingulari myſterio fuiſſe fabrum cæmentarium, vt qui ſecundum diuinam generationem filius eius erat, qui ex nihilo mũdum fabricauerat, idem ſecundum generationem humanam filius putaretur, & nominaretur fabri cæmentarij; maximè qui pulchram adeò domum, qualis eſt Eccleſia Catholica, ab imis fundamentis vſque ad lacunaria

*D. Hil. can 14. in Mat. S. Leand. de inſtit. Virg. c.22. S. Anſel. in c.23. Matt. S. Iſid. in reg. monac. c.5. Beda ſup. c.6. Marc. S. Petrus Chryſol. ſer.48. D. Ambr. ſup. ca.13. Matth. D. Aug. de nat. Dom.*

erat

*D. Thom. ſuper 13. c. Matth.*

erat erecturus. Sed Diuus Thomas cum communiori & receptiori ſententiâ, quam etiam tradit hiſtoria Orientalis, id referente Gratiano, docet Ioſephũ fuiſſe fabrum lignarium, quod tribus præcipuè non incongruis rationibus ſtabiliri poteſt. Prima, quia ad quęrendum victum ſibi, & vxori in itinere ad Ægyptum, & dum in eâ commoratus eſt, nec non in reditu in Iudæam, ars fabrilis lignaria aptior erat, & paucioribus inſtrumentis ad eam exercendam indigebat, quàm ſi faber ferrarius, aut cæmentarius fuiſſet. Secunda ratio, quia antiquiſſima conſuetudo, & communi Eccleſiæ conſenſu recepta ſatis confirmat D. Ioſephum fabrum lignarium fuiſſe, dum frequenter manu ſerram tenentem eum depingit, quam conſtat lignariæ artis inſtrumen-

mentum eſſe. Tertia ratio, quia, ſi vera eſt ſententia D. Bonauenturæ, Caietani & aliorum, Chriſtum Dominum in fabrili officio non ſemel adiuuiſſe ac miniſtrâſſe legali ſuo patri Ioſepho, congruentius ac decentius erat artẽ illius fuiſſe lignariam, non ferrariam aut cæmentariam, quibus manus & facies neceſsè eſt frequentiſſimè ſpurcari & maculari. Hanc artem cum S. Ioſephus ſedulò exerceret, vitamq́; apud omnes laudabilem & inculpatã traduceret, ei diuino conſilio Virgo perpetua Maria, futura DEI mater deſpondetur, id qua ratione acciderit celebris hiſtoriographi Nicephori verba audiamus: *Poſtquam adoleuit Virgo, conſilium Sacerdotes agitârunt, quid de eâ ſtatuerent, ne in ſacrum eius corpus admittere quidquam viderentur; ſacrilegium namq; prorſus ſe commiſſuros*

*D. Bonauent. in med. Vit. Chriſt.*
*Caiet. ad c. 6. Marc.*

Ioſepho deſpondetur Maria virgo
*Nic. l. 1. c. 7*

 *puta-*

*putabant, ſi viro eam coniungerent, atq; in ſeruitutem coniugalis legis redigerent, quæ ſemel Deo dicata eſſet: E diuerſo autem puellam eo ætatis flore in ſacratiore templo verſari; nec permiſſum lege putabant, nec rem ſatis honeſtam, & decoram eſſe videbant. Sæpe itaq; & multum re deliberatâ, diuinitus eis per inſpirationem oſtenditur, vt eam alicui, qui ad templum ſedulò eſſet, ſponſæ nomine committerent; eũ verò talem eſſe debere, cui rectè virginitatis cuſtodia demandaretur, porrò non alius Ioſepho viſus eſt magis idoneus ad ſponſalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret, eiusdem enim Tribus erant, inſuper verò [illegible]nio, & honeſtate morum iam pridem bonæ fidei exiſtimationem conſequutus eſſet.* hæc ille. His de Marianâ cum Ioſepho deſponſatione conſentiunt grauiſſimi Patres, D. Gregorius Niſſænus, D. Ioannes Damaſcenus,

*Greg. Niſſ. ora. de natiuit.*

ſcenus, & D. Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus. Quodnam autem fuerit hoc conſilium, quæue ſors ad Ioſephi electionem in ſponſum Virginis, his verbis enarrat D. Hieronymus, vel quicunque alius auctor fuerit libri de ortu Virginis: *Pontifex publicè denuntiabat, vt Virgines, quæ in templo conſtituebantur, & ætatis tempus impleſſent, domum reuerterentur, & nuptijs ſecundum morem gentis, & ætatis natiuitatem operam darent. Cui mandato, cum cæteræ paruiſſent, ſola Virgo hoc ſe facere non poſſe reſpondit, dicens; ſe quidem & parentes ſuos Domini ſeruitio mancipaſſe, & inſuper ſeipſam Domino Virginitatem vouiſſe. tunc Pontifex præcepit, vt ad feſtiuitatem, quæ imminebat, omnes ex Hieroſolymis, & vicinis locis primores adeſſent, quorum conſilia ſcire poſſet, quid de tam dubiâ re faciendum eſſet. Omni-*

*Damaſc. orat. 1. de dormit. Virg. Germ. de oblat. Virgin. in Tẽplo.*

Ioſephus ſorte eligitur.

bus in communi placuit Dominum cõſulendum, & cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad conſulendum Deum ex more acceſsit; nec mora, cunctis audientibus de Oraculo, & Propitiatorij loco vox facta eſt, Iſaiæ vaticinium requirendum eſſe, cui illa Virgo deſponſari, & commendari deberet. Secundùm ergò Iſaiæ vaticiniũ: Egredietur virga de radice Ieſſe, flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini: cunctos de domo & familiâ Dauid nuptui habiles non coniugatos, virgas ſuos allaturos ad altare prædixit: & cuiuſcumq; virga florem germinaſſet, & eius cacumini ſpiritus Domini in ſpecie colũbæ conſediſſet, ipſum eſſe, cui Virgo deſponſari deberet; erat autem Ioſeph de familia Dauid grandæuus. Cunctis verò virgas ſuas iuxta ordinem deferentibus, ipſe ſolus ſuam ſubtraxit. Vnde cum nihil diuinæ voci conſonum apparuiſſet, Pontifex iterum Deum conſulendum

Iſaiæ 11.

*lendum putauit, qui reſpondit, ſolum illum ex ijs, qui deſignati erant, virgam ſuam non attuliſſe, qui Virginem deſponſare deberet. Proditus eſt itaq; Ioſeph: cum enim virgam ſuam attuliſſet, & in cacumine eius columba de cœlo veniens conſediſſet, liquidò omnibus patuit, ei Virginem deſponſandam fore.* hæc ille. Ne tamen tibi præter rem videatur, ſigno viſibili electum fuiſſe Ioſephum à Deo: animaduerte in ſcriptura ſacra ſortis nomine accipi diuinam voluntatem ſigno externo declaratam, quâ oſtenditur, eligiturq; is, qui quæritur. Sic floribus & amigdalis germinantibus in virgâ electus eſt Aaron in ſacerdotem: ſic diuina ſorte quæſitus eſt præuaricator Acham. Sic ſortibus electus eſt Saul; ſic diuina ſors cecidit ſuper Matthiam: quam *ſortem* appellaſſe ſcripturam ait Dionyſius Areo-

Sors quid ſit in ſcriptura.

Aaron electus virgâ germinãte ac florente *Num.* 17.

Acham ſorte inuentus. *Ioſ.* 7.

Saul ſorte electus. 1. *Reg.* 10.

Matthias etiã. *Act.* 1.

D. Dionyſ. de Eccleſ. Hier. cap. 1

*pagita, diuini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro ſacratiſſimo inſinuaretur, qui eſſet diuinâ electione declaratus.* Quod ſi huiuſmodi ſortes tam frequentes erant, ad oſtendendos eos, qui vel ad munia aliqua eligebantur, vel vt punirentur; quod & in lege Euangelicâ contigit aliquando, vt futuri Epiſcopi columbæ aduentu declararentur, quid mirū, ſi ad eligendum eum, qui futurus erat ſponſus Virginis, cuſtos & patronus, & Dei filij nutritius, ſorte diuinâ floreret virga, & colūba in eius faſtigio cōſideret?

In feſto Encæniorum deſponſatus eſt Ioſeph.

Quæ autem fuerit feſtiuitas, cuius paulò ante facta mentio, vel quando ea quæ iam retulimus, contigerint, P. Chriſtophori de Caſtro hæc eſt ſententia. Cum certum omnibus ſit menſe Martio virgini lætum nuncium de Chriſti conceptu renunciatū,

P. Chriſt. Caſtr. hiſt. Deip. c. 4. in annot.

vt

vt diuinus Euodius affirmat, quarto poſt deſponſationem menſe, id ab Gabriele allatum, ſequitur deſponſam Virginem menſe Decembri; qui quartus eſt ante Martium; quo in menſe cũ Encæniorum feſta celebrarentur, (nam 25. die Nouembris incipiebant, perdurabantq; vſque ad tertium Decembris per octo dies, vt in Machabæorum hiſtoria refertur) non abſque ratione animaduerſum eſt, ſacerdotes occaſionem nactos hoc tempore fuiſſe tractandi cum Virginis cõſanguineis, qui ad feſtũ acceſſerãt, de eius deſponſatione. Præterea enim per hoſce dies confecta res creditur, in quibus, & ipſa Virgo concepta eſt octauo Decemb. Cęterũ & hoc annotandũ de huius ſacræ deſpõſationis nouã ſolẽnitate ita ſcribere Ferreolũ Locriũ: *Ianuary 23. Deſpõſationis*

*Euo. apud Niceph. li. 2. cap. 3.*

Encæniorum feſti tempus.

*1. Mach. 4. & 2. Mach 1. & 10.*

Feſtũ deſponſationis inſtitutum.

*Locr. lib. 6. cap. 4. Mai. Aug.*

*Sponſaliorum B. Virginis cum Ioſepho initorum ſolennitas in Ætrebatenſi Eccleſia celebratur: at in Gallijs præeunte die, ſciliet 12. eiusdem menſis. Quæ quidem feſtiuitas cæteris recentior eſt; neque enim reperio ante Pauli 3. Rom. Pont. tempora in Occiduo orbe celebratam fuiſſe. Eo autem ſedente, cæpit in Gallijs, pio Petri Ædurati Dominicani S.T.D. ſtudio publicari; qui anno 1546 compoſito eius Solennitatis officio, precibus à Summo Pontifice contendit, ratum laborem ſuum haberet, idque Feſti in Gallijs ſeruari permitteret.* Subiungit deinde litteras à Petro aurato ad Pontificem ſcriptas, in quibus dictam deſponſationem 22. Ianuarij factam è vetuſtioribus auctoribus colligi affirmat. Aduertēdum inſuper duplicem cæremoniam in eo ſacro ſponſalitio interceſſiſſe. Prima eſt, quod ſanctus Ioſeph annulum porrexit beatæ Virgini; annulū enim

*Cæremoniæ deſponſationis.*

enim ſponſalem loco arrhæ ſolitum dari inter Hebræos, non obſcurè colligitur (vt Cardinalis Baronius annotauit) ex illo Geneſeos: *Dixit Thamar: patiar quod vis, ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris; ait Iudas, quid vis pro arrhabone dari? reſpondit, annulum tuum:* hic autem annulus beatæ Virgini à ſancto Ioſepho datus, Peruſiæ Italiæ ciuitate in Eccleſia S. Laurentij magna veneratione aſſeruatur, cuius tamen materiæ ſit, diſtinctè cerni non poteſt. Præter hunc alios adhuc duos annulos refert etiã antè memoratus Ferreolus Locrius: *Pronubus verò B. Virginis annulus, quo Semimurenſis apud Mandubios in Burgundia Prioratus, Gerardi Ruſſiloni Comitis liberalitate nobilitatur, ibi nomen ab octingentis & ſeptuaginta ſeptem annis obtinuit.* Et poſt nonnulla:

*Bar. Annal. 1. anno 57.*
*Gen. 38.*

Annulus B. Virg. vbi aſſeruetur.

*Locr. lib. 5. cap. 31.*

*Sed enim Aquicinctini Monaſterij Aſcetæ alium B. Virginis annulum habere ſe prædicant & demonſtrant, effigie quadam exigua in pallâ ornatum. Rarum id Virginis, ſi eius ſit, monumentum, vel ex eo, quod puerperij moleſtias acrius patienti, præſens; earum ſtatim liberet; idq; exemplis probatum eſt.* Secunda cæremonia fuit, quod ſanctus Ioſeph pallium ſuum extendit ſuper beatam Virginem, quo illam cooperuit, vt mos erat apud Hebræos, vt conſtat ex illo Ruth, vbi petens illa Booz ſibi deſponſari, dixit: *Extende pallium tuum ſuper famulam tuam*: duplex autem hæc cæremonia, & fidelitatem ab vxore ſeruandam, & protectionem à marito ei exhibendam portendebat. Tertiam adhuc adhibitam cæremoniã colligit P. Chriſtophorus de Caſtro ex libro Tobiæ, vbi dicitur: *Et apprehendens*

*Ruth 3.*

*P. Caſtr. loc. cit. Tob. 7.*

*dexte-*

*dexteram filiæ ſuæ, dextræ Tobiæ tradidit dicens; Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatq́ benedictionem ſuam in vobis, & acceptâ chartâ fecerunt conſcriptionem coniugij.* Ex hoc loco & aliarum gentium conſuetudine, apud Perſas, & Medos: quod refert Arrianus, ſimiliter & apud Aſſyrios, facilè colligetur, & hunc morem in vſu fuiſſe Hebræis.

*Arian. de geſt. Alexand. lib. 3.*

Quâ verò ætate cæleſtes hi coniuges MARIA & Ioſephus coniugium inierint, magna eſt opinionum diuerſitas. Communior tamen Patrum ſententia eſt, B. Virginem quarto decimo anno ætatis ſuæ nuptui traditam. Ioſephum verò tradit D. Hieronymus, vel quicunque alius auctor eſt libri de ortu Virginis, tunc ſenilem ætatem egiſſe, ait enim: *Erat Ioſeph de familiâ Dauid grandæ-*

Ætas Ioſephi & Mariæ.

*Lege, quæ hac de re habet P. Ioan. Carthag. lib. 4. hom. 1.*

*D. Hier. de ortu Virg.*

*grandæuus*. Conſentit Nicephorus, dum ait: *Ioſeph ſenio & honeſtate morum, iam pridem bonæ fidei exiſtimationem conſequutus erat.* & quamuis hi non ſignent ætatem expreſsè, tamen illam ſignauit D. Epiphanius dicens: *Ioſeph accepit Mariam agens annum fortaßis octogeſimum & vltra:* & deinde ſubdit: *Senex octogeſimum annum ſupergreſſus, non accepit Virginem in vſum, ſed magis diſpoſitus eſt in cuſtodiam.* Cancellarius verò Pariſienſis exiſtimat Ioſephum tunc natum fuiſſe annos quinquaginta, à quibus incipit ſenectus. Abulenſis non longè diuerſam viam ingreſſus, ait: *Quamuis Ioſeph eſſet aliqualiter ſenex, tamen adhuc erat potens ad gignendum, & manifeſtè apparebat omnibus ex habitudine corporis.* Permulti tamen cum Viguerio tradunt, Ioſephum tunc juuenem fuiſſe; ſic enim ille ait: *Virgo*

*Nic. l.1.c.7*

*D. Epiph. l. 2. hær.31. & l.3. hær. 38.*

*Io.Gerſon ſer.de nat.*

*Abul.in Matth.1. q 32.*

*Vigu. in inſt.c.20. § 9.*

*Virgo non euaſiſſet notam infamiæ, ſi vir eius fuiſſet ſenex & decrepitus, prout olim non reuelatâ veritate pingebatur; nec fuiſſet Virgini ſolatio, aut adiutorio, ſed tædio.* Conſentit eidem ſententiæ Maior, dum triginta annorum ætatem, vel paulò ampliorem illi tribuit: conſentit partim Salmeron, dum ait; cum ratione coniunctam videri ſibi eorum ſentētiam, qui intra quadrageſimum annum, vel ſaltem intra quinquageſimum Ioſephi ætatem conſtituunt; vt ita in virenti, floridoque æuo, ac prudentiâ pleno, commodè Virgini in coniugem aptari poſſet. D. Eggius verò, vt litem hanc dirimat, in antiquiorem ſentētiam, ſenem illum aſſerētem, propendēs, ait: *In hac re non lubet ad alterutram partem declinare, vbi nullum nobis conſtat ſcripturæ pro quacunque parte teſtimonium, eo maximè, quod à receptâ,*

*Maior Matth. 1.*

*D. Ioan. Eggius ſer. de S. Ioſepho.*

*receptâ, & diu perſuasâ opinione temerè diſcedendum non eſt, facilius igitur paterer antiquiori ſententiæ auctoritatem ſuam, fidemq́ manere.* Attamen videntur non obſcura ſacræ ſcripturæ teſtimonia ſenilem ætatem ad generationem ineptam apertè refellere; nam apud Iſaiam legimus: *Habitabit enim juuenis cum virgine:* quæ verba gloſſa explicat de Ioſepho & Mariâ, quam ſequitur Viguerius, vbi ſupra; & Lyranus ibid. ait: *Habitabit iuuenis cum virgine, vt Ioſeph cum Maria, Valerianus cum Cæciliâ, Chryſantus cum Dariâ.* Deinde, quod magis vrget, extant verba Lucæ: *putabatur filius Ioſeph.* ſi ergo judicabatur Chriſtus Dominus ab Hebræis tamquam filius Ioſeph, manifeſtum eſt, eum ætatis fuiſſe aptæ ad generationē, alioquin nec ipſe ſpurij, nec mater adulteræ infamiam (vt præ-

*Iſa.62.*

*Luc.1.*
Sententia eorum qui Ioſephum iuuenem fuiſſe perhibent.

citati Auctores adnotârunt) euaſiſſent. Et Ioſephus quidem inutilis fuiſſet ac debilis ad labores fabrilis artis, & ad obſequia infanti matrique præſtanda, cum eſſet eundum in Bethleem, redeundum Nazareth, fugiendum in Ægyptum, atque inde remeandum, & ſudore vultus ſui victus illis ſuppeditandus. Sanè, ſi tam ſenex fuiſſet (vt Epiphanius & Nicephorus, & alij putârũt) alieno potius miniſterio eguiſſet, quàm vt alijs valeret ipſe miniſtrare. Neque quidquam obſtant antiquę picturæ, quæ illum ſenem caneſcentem & curuum exprimunt; vt enim Horatius cecinit: *Horat. in arte poet.*

*------ Pictoribus atq; Poetis*
*Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

vel fortaſſis ideò pingitur canus ac ſenex ad caſtitatem mentis, & virtu-

virtutem ſignandam; nam vt Sa-
Sap. 4. lomon dixit; *cani ſunt ſenſus homi-
nis, & ætas ſenectutis, vita immacu-
lata* : vel tandem vt ab intuenti-
bus omnis libidinis ſuſpicio lon-
gè exterminaretur. Sed neq; illa
conſuetudo ſenem illum pingẽ-
di vniuerſalis eſt in totâ Eccleſiâ:
vt enim adnotauit ſapientiſſi-
Salme. tex 2. tract. 29. mus Salmeron, in quibusdam
Germaniæ prouincijs, vir fortis
& robuſtus depingitur; neque id
quidquam dedecet honeſtatem
Virginis; nam ſi in alijs non pau-
cis plus potuit gratia, quàm na-
tura frigida & ſenectus, non eſt,
cur id iuueni Ioſepho denege-
tur. His conformia ſcribit Fer-
Locr. lib. 5. c. 12. Mar. Aug. reolus Locrius: *An verò anim-
aduerſione dignum illud non eſt, quod
in Diuæ ſponſalibus, vbi illa cum Ioſe-
pho in manum venire depingitur; tam
ſenex, tam curuus, & quaſi ætate
centenarius, adeoque baculo innitens,*

*maritus*

*maritus ei affingatur? Non aliter æſtimetur, quàm quod iuuenis iuueni conceſſus ſit; adeoq; vtriq; id Iſaiæ (ait Ioannes Gerſon) competere:* Habitabit iuuenis cum Virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam. *Equidem Ioannes Heſſelius, celebris Academiæ Louanienſis Doctor Theologus, in Quartum Sententiarum ſcribens, grauiter id talibus refutat:* Epiphanius in Hæreſi Antidicomarianitarum narrat fabulam, quod Ioſeph Mariā duxerit, cum iam annum ſuæ viduitatis ageret octogeſimum. Verùm nullo modo conueniſſet virum ferè centenarium & imbecillem ſenem adhiberi Mariæ cuſtodem, cum fugiendum eſſet in Ægyptum cū puero & matre eius, & inde redeundum. Nec decebat eum aliorum filiorum amore eſſe diſtractum, qui curam tantæ Virginis & prolis eſſet geſturus. Confir-

*Iſai. 62.*

*Heſſelius in 4. ſent. diſt. 28.*

E mauit

mauit fabulam pictorum carnalitas, q ex ſuâ libidine de Ioſeph iudicantes, putant non aliter eum continere potuiſſe à Virgine niſi ſenex, & per ætatem prouectam impotens ad coniunctionem fuiſſet; plurimùm derogantes gratiæ Dei, quæ tam efficax eſſe poteſt in adoleſcentulis ipſis, atque in alîus ætatis hominibus. Credo igitur conformius eſſe Euangelicis literis, ſi Ioſeph credatur fuiſſe iuuenis, fortis & valens, qui poſſit induſtriâ & labore ætatis Virginem defendere, & vrgente periculo, mox puerum in Ægyptum deferre, & reducere, ac ſuis laboribus nutrire. Certè incontinentiæ ſuſpicione non caruiſſet Maria, ſi virũ centenarium habuiſſet. Et vanus eſt carnalium timor. Facilius continet Deum timens iuuenis virgo, quàm impotens & li-

bidini

bidini aſſuetus ſenex. Quanto autẽ magis hic Ioſeph, qui multò excellentior fuit Ioſeph filio Iacob. *Hactenus Heſſelius. A quâ quidem ſententia quanquam temerè recedendum non ſit; illam tamen Ioſephi ſenis, non tamen adeò decrepiti, tolerari poſſe, Ioannes Gerſon Academiæ Pariſienſis Cancellarius ampliſſimus, ſcribit, his verſibus cogitatis.* *Gerſon in Ioſeph. diſt. 5. Vide Molanum c.22.& 62.*

*Ergò Ioſeph reputâſſe ſenẽ fecêre ſeniles*
*In ſe virtutes; vel neu carnalis haberet*
*Suſpicio de te quicquam carnale Maria.*

*Acta D. Ioſephi poſt deſponſationem, cauſæ matrimonij initi, & Salutatio Angelica.*

## CAPVT III.

QVid autem poſt deſponſationem Ioſephus? num ſimul cum Virgine in eadem domo, an ſeparatim ab eâ habitauit? Plerique antiquiſſimi & grauiſſimi Patres conſtanter aſſerunt beatã *Chryſ. ho. 4. in Matt. Euod. ap. Niceph. li. 2. c. 3.*

 Virgi-

*Auctor imperfecti ho. 1. in Matt. German. Conſtant. in Vita Virginis. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt. Euthym. in 1. Matt. Niceph. l. 1. hiſt. c. 8. Euſ. Emiſſ. ſer. in Vigil. Natiu. Anſel. in 1. c. Matth.*

Virginem ſtatim ab initio coniugio Ioſepho fuiſſe traditam, & mox Nazareth ab eo deductam, ibique in propriâ domo cuſtoditam; eò quod Iudęorum conſuetudinis eſſet, vt à die deſponſationis, vſque ad tempus nuptiarum ſponſis ſponſæ traderentur cuſtodiendæ, vt earum ipſi eò pudicitiam ſeruarent ſtudioſius, quò ſibi ipſi fideliores exiſterēt. Alij tamen firmioribus conuicti rationibus, exiſtimant, Virginem quidem habitaſſe in domo parentum ſuorum, Ioſephum autem in ſeparatâ domo; vel cognatorum conducta, vnde frequenti ſponſam viſitatione vnà cum parētibus cuſtodiret. Nam ex multis ſcripturæ ſanctæ teſtimoniis & exemplis certo certius colligitur, eam fuiſſe Hebræis conſuetudinem, vt ante nuptias ſponſa non traderetur ſponſo,

Rationes has inuenies apud P. Carthag tom. 2. li. 4. hom. 2.

nec ad cuſtodiam; hoc enim vel parentum erat munus, vel tutorum; in nuptiis verò tradi ſolitam, & inde deduci in ſponſi domum, ex hoc ſignificauit Angelus cum Ioſepho dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* & hoc eſt quod vocat ſacra ſcriptura: *ſponſam accipere ſponſum*; & Iura, poſt initum verbis contractum ſolemniter, *rei emptæ poſſeſſionem aut hæreditatem adire*, quod niſi per ſolennem traditionem, & nuptiarum celebrationẽ non fiebat. *Matth. 1.*

Porrò verum ac ratum matrimonium interceſſiſſe inter Mariam & Ioſephum ex Euangelicâ hiſtoriâ apertiſſimè colligitur, vt conſtat ex illis verbis Matthæi: *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt IESVS*: & ex illis quæ dixit Angelus: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: & ex illis Verũ matrimoniũ Ioſephi & Mariæ. *Matth. 1.*

 Lucæ:

Luc. 2. Lucæ: *Aſcendit Ioſeph cum Mariâ deſponſatâ ſibi vxore prægnante:* nec
Matth. 1. non ex illis: *Antequam conuenirent.* Poſſe autem verum & eſſentiale matrimonium eſſe abſque
Theol. in 4. d. 30. de quo Vbald. latè 2. to. de ſacram. c. 130. copulâ coniugali, vnanimis eſt Theologorum conſenſus; idq́; habetur ex cap. ſufficiat, 27. q. 2. & ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, vbi definit, matrimonium perfici mutuo conſen-
Conc. Trid ſeſſ. 24. ſu, quem conſtat manifeſtè antecedere copulam: & ex Tridentino, vbi ſupponens eſſe verum, & proprium matrimonium, diſtinguit ratum à conſummato. Immò conſtat ex coniugio primorum parentum, inter quos fuit verum matrimonium in amæno illo paradiſo, in quo tamen à carnali copula ſe continuerunt. Atque huic veritati innitentes Patres non pauci, inter B. Virginem & D. Ioſephum, non

ſolum

ſolum ſponſalia de futuro, ſed & verum ac proprium matrimonium de præſenti interceſſiſſe docuerunt: D. enim Auguſtinus ait: *Non fallaciter dictum eſt ab Angelo ad Ioſeph: noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: coniux vocatur ex primâ fide deſponſationis, quam concubitu nec cognouerat, nec erat cogniturus; nec perierat, nec mendax manſerat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat illa carnis commixtio.* Idem alibi ait: *Exemplo Virginis & Ioſeph inſinuatur fidelibus coniugatis, etiam ſeruatâ pari conſenſu continentiâ, poſſe permanere, vocariq́ coniugium, non commixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Rurſus alio loco: *Cur non coniuges maneant, qui ex conſenſu concumbere deſinunt, ſi manſerunt coniuges, Ioſeph & Maria, qui concumbere nec cœperunt?* Cap. II. *Omne*, inquit, *nuptiarum bonum impletum eſt in illis*

*D. Aug. l. 1. de nupt. & concupiſc. cap. II.*

*Idem lib. 2 de conſ. Euangel.*

*Idem lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 11.*

*parentibus Chriſti; proles, fides, ſacramentum; prolem cognoſcimus ipſum Dominum IESVM; fidem, quia nullũ adulterium; ſacramentum, quia nullum diuortium.* Prolem dicit Chriſtum, quia, quamuis Ioſephi filius non fuerit, tamen Virginis, quæ coniux illius erat, legitimus filius fuit; ob quam rationem non ſolùm à plebe, ſed & ab ipsâ Virgine filius Ioſephi vocabatur, vt non obſcurè indicant verba illa: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ait deinde in eo matrimonio inueniri fidẽ; quia Maria & Ioſephus ad inuicem illam inuiolatam ſeruârunt, perpetuam virginitatem obſeruantes; tandem addit, in hoc matrimonio inueniri *ſacramentum, quia nullum diuortium:* nam indiuiſio & vnitas vinculi connubialis, quo Maria & Ioſephus verè erãt copulati, vnionem Chriſti cum

*Lucæ 2.*

Eccleſiâ

Eccleſiâ ſignificabat, quod eapropter meritò Auguſtinus ſacramentum vocauit, Apoſtolo dicente: *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & Eccleſiâ.* Rupertus item egregiè dixit: *Coniugium cœleſte, non terrenum, vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis, ſola illic carnis corruptio deſinit, &c.* Congruit ſanè potiori iure huic matrimonio, quod de ſuorum parentum coniugio Nazianzenus dixit: *Sic exiſtimo, ſi quis ab vltimis terrarum finibus, atq; ex vniuerſo hominum genere, præſtantiſsimum coniugium conciliare ſtuduiſſet, nullũ vnquam hoc præſtantius aptiusq́; reperiri potuiſſe.* Hæc ille.

*Epheſ.5.*

*Rup. in c.1. Matth.*

*Gre. Naz. orat.19.*

Ad hæc nobiliſſimum hoc par coniugum, illuſtriſſimum exemplum imitandum caſtis coniugibus reliquit, vt coniugalem vitam ducentes, Angelicæ caſtitatis ſplendore fulgeant, vt his verbis

Ioſephus & Maria exemplũ cæterorũ coniugũ & virginũ.

*Gerſ. ſer. de natiu. Mar.*

verbis teſtatus eſt Pariſiẽſis Cancellarius: *Cur pura, perfectaq; Ioſeph pudicitia non prædicetur, qui Virgo Virginem adijt, atq; ſeruauit, quique primus ex maſculis in coniugij conſortio coluit, & coli poſt ſe docuit ſanctum & integrum cælibatum.* Extant aliorum perilluſtria facta, qui coniugio quidem innexi, Mariam & Ioſephum tamen imitati, ſempiternam ſui memoriam in Eccleſiâ Dei reliquerunt. Henricus Imperaror Auguſtus Hezilonis filius, Cunegundem Auguſtam virginem coniugem accepit, ſeruauit, moriturus cognatis qualem accepit, reddidit. Pulcheria Theodoſio ad cęlum profecto, Marciano ſe & imperium eâ conditione permiſit, vt iureiurando polliceretur ſe virginitatis cuſtodem futurum. Accepit ille cum imperio coniugem virginem, fidemque illi & Virginitatem

Qui in matrimonio virginitatem ſeruauerint.

*Sigebertus & Scriptores Germanici, aliiq;.*

*Matth. Rader. in Aula ſancta. c. 22.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nitatem ſanctiſſimè cuſtodiuit. Præterea ſuum in coniugio cæli-batum purè conſeruarunt Vale-rianus & Cæcilia, inſigne par Ro-manæ nobilitatis. Iulianus itidē Antiochenus & Baſiliſſa, non modò religionis, ſed & martyrij gloriâ percelebres. Eandem vir-ginitatis laudem Eduardus Bri-tannorum Rex, & vxor eius Edi-tha, non obſcuræ ſanctitatis cō-iuges mirificè coluerunt.

*Metaphr.* *Sur. tom. 6.* *Sur. tom. 1. 11. Ianua.*

*Alred. Rie ual.*

Extat & illuſtre S. Ammonis Anachoretæ facinus, cuius diui-nam animam S. Antonius vidit ad cœlum deportari. Fuerat is generoſis & copioſis parentibus, ſed inuitus reclamanſq; ad nup-tias & coniugium per vim im-pulſus, cum ſponſam celebratis ſolemnibus nuptiarum, intra conclaue ſolus recipiſſet, inſtitu-tâ virginitatis laudatione, facilè perſuaſit virgini, vti ſecum vellet

*In Vit. PP. diſt. 2. cap. 194.*

æter-

æternum pudoris illibati florem ignaris omnibus cuſtodire. Illuſtris quoque ſanctitate Zacharias calcearius in Menæis Græcorum proditur. Hic cum Maria vxore paris caſtimoniæ fæminâ virginitatem inuiolatam ſeruás, ab omni ſemper vſu thori abſtinuit. Nec Euariſti opilionis cum Mariâ coniuge, itidem virgine, virtus tacenda, qui quas paſcebat oues à paternâ hæreditate acceptas, in tres diuiſit partes, vnamque egentibus largiebatur, alteram in vſum peregrinorũ & hoſpitum impendebat, tertiâ ſe coniugemq; quam virginem intemeratam ſeruauit, alebat: noctuq; ſecubabant ſemper, & ſaccis cilicinis vtebãtur. Matthæus Raderus aliud ibidẽ producit ex D. Gregorio Turonenſe, nobile par coniugũ, ex nobiliſſimâ Romanorũ ſenatorum ſtirpe genus ducen-

*Matth. Raderus Virid. SS. 17. Nou.*

*Ibidem in annotat.*

ducentiũ Arcadij, Honorij & B. Martini temporibus. S. Conon inſuper Iſauricus Annam coniugem ſuam induxit, vt ſecum iuxtà illibatũ virginitatis florẽ cuſtodiret. Cui adiungendi S. Antigonus & Euphroſia: S. Apenianus & Melania. Pręter iam dictos Vandeſillus Comes Palatinus, q sub Dagoberto Rege floruit: ac demùm Emericus Pannonius, Stephani Regis filius, nõ immeritò inde laudátur, quod illis tam cara ob Chriſti amorẽ cõtinẽtia fuerit, vt Veneris neſcij, habuerint quidem, ſed non attigerint vnquã vxores, vtpotè, cum quibus veluti ſororibus, pudicitiæ integritatem (ô Eunuchos Euangelicos) intemeratè ſeruârunt. His adiũgi meretur Alphõſus Aragonię Rex, *caſti* cognomine honorat⁹, cõiux & ipſe nobilis, atq; fidus vxori, ſed qui ad ſe ptinere putauit

*Ibid. 5. Martii.*

1.Cor.7. putauit Apoſtolicũ dictũ: *Bonũ eſt hominí mulierem non tangere; & qui habent vxorem, tanquam non habentes ſint.* Neq; diſſimilis Theophanes fuit, qui, cum ad ſpõſam nocte nuptiarum ingreſſus eſſet, & animi puritatem omni corporeæ voluptati anteponeret, tam pium ac efficacem in thalamo, vel doctorem, vel collocutorem ſe prębuit, vt ſponſam continentiæ ſuæ ſociam, & fecerit, & retinuerit ſemper. Eadem integritas in Eghardo, & ſanctiſſimæ Viduæ Brigittæ filiâ Catharinâ ſplenduit, coniugium illis tam ſanctè ineuntibus, vt perpetuam pudicitiam Chriſto piè oblatam iuramento confirmârint, ac ſeorſum totâ vitâ cubârint. Quid porrò ſanctus & illuſtris Galliæ Comes Elzearius, qui ſub Carolo II. Ieruſalem, Siciliæque Rege clarus eſt habitus, & cui

Sur. tom.2 24. Martii

Sur.tom.5. 27.Sept.

æquè nobilis ac pia Dalphina virgo, ſponſę loco contigit in vrbe Maſſilienſi? Non ſat illis viſum eſt, virginitatis virtutem in alijs ſuſpicere, ſed & ipſi admirando conſilio ducti, quoniam caſti ad coniugium acceſſerant, ſuæ virginitatis florē nulli, prætérquam IESV Nazareno offerre, conſecrare, ſeruareq; voluerunt: itaque ſacram ædem adiêre, ſuas Deo preces effudêre, & poſt ſanctiſſimum Chriſti corpus reuerenter acceptum, flexis genibus, iunctis manibus, erectisq; ad cęlum animis virginitatem ſuam Deo deuouerunt. Eiusdem generis plures alios ſilentio prętermitto, quos tradunt D. Hieronymus, Auguſtinus, Paulinus, atque Palladius, quorum caſtiſſima matrimonia ac thori immaculati fructus fuerũt partus, ac legitimi filij Ioſephi matri-

 monij

monij cum Maria.

Cauſſæ matrimonij Ioſephi cum Maria.

Quęris autem quid cauſſæ extiterit, ob quam B. Virginē matrimonium contrahere, & Ioſepho in ſponſam dari decuit? D. Ambroſius hanc reddit ex parte virginis cauſſam, vt honori eius cōſuleretur. Si enim cum nupta filium haberet, certè Hebręi virginem ſtupratam eſſe non iudicarent. D. Hieronymus aliam ex parte Virginis ſcripſit rationem: *Ne tanquam adultera à Iudæis lapidaretur*: eandem tradit Euſebius Emiſſenus. Diuus Bernardus aliam ingenio & pietate ſuâ dignā rationē adhibuit, vt ſcilicet Ioſephus teſtis eſſet Virginitatis Mariæ: Nemo enim in aſſerendâ caſtitate tam dignus eſſe poterat fide, quàm qui cuſtos illius erat, & maritus, qui maximè & ſcire debuit, & potuit, quemq; credibilius erat, naturali mari-

*D. Ambr. initio li. 2. in Luc.*

*Hier. in c. 1. Matth.*

*Euſ. Emiſſ. hom. in Vig. Nat. Domini.*

*Luc. 2.*

torum

torum zelotypiâ, impudicitiæ crimen, vbi non eſſet, ſuſpicaturum, quàm vbi eſſet, defenſurum fuiſſe: vt enim dixit D. Ambroſius: *Locupletior teſtis pudoris Mariæ adhibetur, qui poſſet & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret ſacramentum.* Deinde ex parte Chriſti ſimul & Matris ea notiſſima occurrit ratio, vt Ioſephus vtrique eſſet adiumento, atque cuſtodia, & ſacræ illius familiæ in temporalibus adminiſtrator. Eſt etiam alia omnium notiſſima ratio, cuius meminit Angelicus Doctor, ex parte Chriſti, ne, ſi mater eius innupta fuiſſet, ipſe tanquam ſpurius, & illegitimus reputaretur; ex quo aliud poterat pullulare manifeſtum incõmodum, vt Meſſias eſſe minimè crederetur. Si enim leuiora quædam ei obiiciebant ad id negandum,

*Ambr. l. 2. in Luc. c. 3.*

*D. Tho. 3. p. q. 29. ar. 1.*

quantò magis hoc ei oppoſuiſſent, cum certum eſſet, Meſſiam non ex illicito concubitu fore naſciturum, vnde D. Ambroſius dixit: *Quid Iudæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſequuti?* deſponſata ergò fuit Virgo non ſolum, vt Matris famæ, ſed & filij honori pariter conſuleretur.

D. Ambr. l. 2. in Luc.

His R. P. Ioannes de Carthagenâ aliam addit rationem ex parte Chriſti, vt matrimonium, quod tanquam vnum ex ſeptem ſacramentis Eccleſiæ Chriſtus inſtituerat, ipſe honoraret; id quod præſtitit, efficiens, ne careret optimo atque excellentiſſimo omnium fructu, qualis erat ipſe Ieſus, mūdi vita. Licet enim conceptus non fuerit ex vſu matrimonij, ſed ex virtute ſpiritus ſancti, tamen quia ex virgine cōiugatâ Ioſepho natus eſt, cer-

lib. 4. homil. 6.

tè

tè inter fructus illius caſtiſſimi coniugij meritò cōputatur, ex quo matrimonium ſummum honorem ſuſcepit; vnde D. Ambroſius dixit: *Mariam ſimul fuiſſe Virginem & nuptam, vt in eius perſona virginitas ſimul & matrimonium honoraretur.* *Ambr. in Luc.*

Ex parte verò noſtra: Tùm ne per virginitatis electionem nuptias damnare, aut deſpicere videretur; & vt tolleretur excuſatio Virginibus, quæ propter ſuam incautelam non vitant infamiam. Tum, vt non ſolum Virgines & viduæ, ſed & nuptæ haberent Deiparam Virginem Mariam tanquam ſpeculum & magiſterium rectè & ſanctè viuēdi, ab eâque diſcerent, quomodo ſe gerere debeant erga viros ſuos, tàm fidelitate, quàm obediētiâ, & alijs ſimilibus. Tùm, vt per virum ordo genealogiæ Virginis

*Ibidem.*

texeretur; vnde D. Ambroſius ait: *Qui in ſeculum venit, ſeculi debuit more deſcribi.*

Ex parte tandem Dæmonis infeſtiſſimi hoſtis generis humani, hanc tradidit rationem ſanctiſſimus ille Martyr Ignatius: *vt ſcilicet partus Virginis Diabolo celaretur:* videns enim ex muliere coniugatâ naſci Chriſtum, non explorauit, an integra, nec inuiolata manſiſſet. Hanc D. Ignatij rationem tota Patrum antiquitas probauit, nam eam amplexi ſunt Baſilius, Hieronymus, Damaſcenus, Bernardus, Origenes, Rupertus, & Theophilactus, quãuis eam refellere conentur Scotus, Abulenſis, & Maldonatus.

*D. Ign. ep. ad Epheſ. Baſil. hom. de Chriſti gener. Hier. ſuper 1. c. Matth. Damaſc. l. 4. c. 15. de fid. Bern. ho. 3. ſuper miſſus. & ho. 4. in Vigil. Natiu. Orig. ho. 6. in Luc. Rup. de Vict. Verb. l. 11. c. 19. Theoph. ſup. Mat. 1 Maldonat in 1. Matt.*

Sed ad filum hiſtoriæ redeamus. Cum quartus iam menſis ageretur, ex quo deſponſa fuerat Maria Ioſepho, miſſus eſt à Deo Gabriel Archangelus ad Virginem

nem

nem in Nazarethâ ciuitate Galilææ tunc degentem, vt cum eâ ageret de re ſeculis omnibus optatiſſimâ; quam hiſtoriam ſanctus Euangeliſta Lucas ſuis coloribus egregiè depinxit. Eorum verò, quæ Maria cum Angelo tractauit, Ioſephum nihil nouiſſe, vero maximè conſentaneum; cum in ſeparata domo habitarit, & Angelus ad Mariam, ſecũdum S. Bonauenturam, venerit veſpere, & manè diſceſſerit, quo tempore Ioſephum, quamuis ſponſum, minimè conueniebat eſſe cum Virgine. Quota verò diei hora, quoue tempore, diurnone, an nocturno hæc ab Angelo nunciata ſint virgini, dubium controuerſum. *Sunt qui opinentur*, inquit P. Ioannes Bonifacius, *nocte appropinquante, vel potius imminente, quorum dux ſanctus eſt Bonauentura.* Et poſt pauca: *Con-*

Incarnatio filij Dei

*Luc.1.*

*Ioan. Bon. hiſt. Virg. l.1.c.10.*

*tra alij non veſpere, ſed mane, atque in ipſo primæ lucis aduentu, à Gabriele ſalutatam eſſe Virginem arbitrantur.*

*Alb. Mag. ſuper Miſſus eſt.*

*Quibus magnus ille præit Albertus, quo etiam tempore campanæ admonitu Chriſtiani Virginem ſalutare conſueuerunt. Non deſunt qui exiſtiment Gabrielem media de nocte cœlitus ad alloquendam Virginem aſcendiſſe, &c.* Hactenus ille. Veſpere Angelum Virginem ſalutaſſe, ſermonemq; diutius protraxiſſe non abſque re cenſet P. Alfonſus Salmeron his verbis: *Tertio verò loco de hora ita exiſtimatur, vt fuerit ſub veſperã, iam declinante luce, quanquam in longum fuiſſe protractum ſermonem Angeli cum Virgine, quidam non ſine ratione tradunt.* Idem alibi: *In inſtanti autem, quo verba Mariæ aſſenſum præbentis terminata ſunt, incarnatio filij Dei eſt ſubſequuta ſub mediam noctem; ad quam, vt deuoti quidam meditantur, præteritum fuit Virginis*

*Salm. tom. 3. tract. 5.*

*Idem tractat. 9.*

ginis cum Gabriele colloquium. Addit Franc. de Mayron, cui Illuminati Doctoris nomen pleriq; tribunt, quod collocutio inter B. Virginem & Angelum cœpit veſpertinâ horâ, in qua ipſa fuit ab angelo ſalutata, & durauit vſque ad horã matutinã, in qua & cõſenſum præſtitit, & filium Dei concepit, & Angelus diſceſſit, fauetq; huic ſententiæ vſus Eccleſiæ, quæ horâ veſpertinâ & matutinâ ſignum præbet ad Virginem ſalutandam. P. Chriſtophorus Veruchinus Capuccinus eadem ferè ſentit, dum ita ſcribit: *Angelus Gabriel, acceptâ poſt genuflexionem â benedictâ matre licẽtiâ, ſe recepit ad illam Eccleſiam dormitantem, maximè verò ad patres exiſtentes in Lymbo, vt illis diu exoptatum nuncium adferret. In cuius etiam rei memoriam nos pulſamus veſperè & manè campanam ad AVE MARIA,*

*Franc. Mayr. ſup. Miſſus.*

*Veruch. Med 17.*

 *ſecun-*

*ſecundum S. Bonauenturam. Veſperè quidem, quando exiſtimamus Angelum eam ſalutaſſe. Manè verò quando credimus illum ab ea licentiam redeundi accepiſſe.* Hęc pluribus, quam fortè inſtituti noſtri ratio poſtulare videbatur, firmanda eſſe, viri quidam docti cenſuerunt.

*D. Ioſephus comes itineris ad Elizabetham.*

## CAPVT IV.

Mariæ profectio ad Elizabetham.

LEgatione peractâ, vt diſceſſit Angelus, Maria profecta eſt cum feſtinatione in montanam regionem, in inſignem illam ciuitatem Iuda, ſacerdotum domicilium, nomine Hebron, viginti duobus millibus verſus Auſtrum diſtantem ab Ieruſalem, vt Eliſabethæ conſobrinæ ſuæ fœtum diuinitùs, ſenectutem iam dudum ingreſſæ, datum congratula-

tularetur. Et quamuis non pauci Doctores doceant, B. Virginē eodem die paulò poſt Angelicā ſalutationem iter arripuiſſe in domum Zachariæ; videtur tamen ex Euangelicâ lectione colligi, veriſimilius eſſe, beatam virginem non fuiſſe profectam in ipſo die Angelicæ ſalutationis, ſed tranſactis paucis aliquot diebus: ſacer enim Euangeliſta ait: *Exurgens autem Maria in diebus illis*: non dixit, *in illa die*, quod alioquin diceret, ſi in eadem die diſceſſiſſet. Ratio etiam eidem opitulatur, quia cum iter illud longum adeò eſſet, vt Brochardus, & auctor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſeptuaginta milliarium longitudinem ei aſſignent, (nam Ioannes Suarez Conimbricenſis Epiſcopus, Nazaretham, quæ ad Septemtrionem eſt Ieroſolymæ 54. milliaria, hoc eſt tredecim leucas

*D. Ambr. ſup. cap. 1. Luc.*
*Orig. & Theophil. ibid.*
*Luc. 1.*
*Brochard. in deſcrip. terræ ſanctæ.*
*Auct. lib. hiſt. Eccl.*
*Suarez tract. 12. in Lucam.*

leucas cum dimidia ab Ieroſolymis diſtantem conſtituit: quibus ſi 22. milliaria, hoc eſt, quinque leucas, cum altera dimidia addas vſque ad Hebron, iter 19. leucarum inuenies) conſequens eſt beatam Virginem præparatione aliquorum dierum indiguiſſe ad neceſſaria pro longo itinere præparanda, & vt domus ſuæ curam alteri commendaret.

Diſtantia Nazareth vſque Hebron.

Ioſephus comes Mariæ ad Eliſabeth.

*S. Bonau. lib. de Vit. Chriſti c. 5.*

Porrò ſponſum eius D. Ioſephum eam in hoc itinere comitatum fuiſſe, licet multi refragentur, S. Bonauentura his verbis clarè edocuit: *O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in quâ & in quo commorantur & requieſcunt tales matres, talibus filijs fæcundatæ: Maria, & Eliſabeth, IESVS & Ioannes: ſunt autem ibi magnifici ſenes, Ioſeph & Zacharias. Quid quæſo iucunditatis defuit S. Ioſeph, ſiue dum nouam coniugem in itinere comitatur,*

*ſiue*

*ſiue dum in obſequio Eliſabeth demoratur.* Hæc ille. Eidem opinioni adhęſit firmiſſimè Iſidorus de Iſulanis, antiquus auctor Mediolanenſis, Ordinis Prædicatorum, qui egregiam ad id rationem adducit, verba eius ſunt hæc: *Quamuis neminem affuiſſe, viſitationi B. Virginis, & Eliſabeth diuinæ referant litteræ, nullus tamen eſt ſanæ mentis, Catholicique ingenij, qui Mariam Virginem, teneræ ætatis, ſolã domo receßiſſe aſſeueraret. Creduntur enim à Nazareth vſque ad oppidum Zachariæ eſſe ferè quadraginta milliaria. Ratio itaque, officiumque S. Ioſeph, atque auctoritas nos credere cogunt, viſitationi S. Mariæ & Eliſabeth, eundem interfuiſſe. Non enim ratio recta conſentit, Ioſeph quauis occaſione, ſponſam diuinitus acceptam dereliquiſſe, ac paſſum fuiſſe Virginem tantam ſine ſe longum iter ſubire.* hactenus ille. Ioannes Bonifacius quoque idem ſentire

*Iſi. de Iſulanis lib. de vita Ioſephi.*

*Ioan. Boni. hiſt. Virginal. l. 1. c. 11*

videtur

videtur hiſce verbis: *Nam, vt quorundam opinio fert, paucis, vt alÿ cenſent, nullo comite iter illud ingreſſa eſt* (Maria) *montana aſperitate difficile, ac longitudine permoleſtum. Illud tamen veriſimilius eſt, quod docti nonnulli putauerunt, profectionis huius Ioſephum comitem fuiſſe. Nam Virgini curæ honeſtatem maximè fuiſſe, ne quid fieret præter id, quod deceret, cautiſsimè prouidenti, reſq; & aduerſas & proſperas cum chariſsimo ſponſo partienti, communicantiq;.* Subſcribit etiam eiſdem Laurentius Maſelli, Salmeron, Oroſius, Viguerius, Suarez, Chriſtophorus Veruchius, Ioannes de Carthagena, cum aliis pluribus.

*Laur. Maſ de Vita B. Virg. l. 2. & 4. c. 1.*
*Salm. to. 3. tract. 10.*
*Oroſ. declam. 5.*
*Viguer. in inſt. c. 20. §. 8.*
*Veruch. Med. 18.*
*Carthag. l. 4. hom. 10 & l. 6. ho. 1.*

Quando redierint hi ſancti coniuges à domo Zachariæ, ante vel poſt partum Eliſabeth, diſcors Doctorum eſt ſententia. Communior tamen ſanctorum Patrum videtur eſſe opinantiũ,

B. Virginem manſiſſe in domo Zachariæ vſque ad partum Eliſabethæ; ita docuêre D. Ambroſius, D. Antoninus, Venerabilis Beda; Gloſſa interlinearis & ordinaria, Lyranus, Simon Caſſianus, Origenes, Hugo Cardinalis, nec non B. Petrus Damianus vbi ait: *Qui librum iuſtorum diligentiori bus oculis inſpexerunt, ibi ſe vidiſſe teſtantur, quod ipſa Dei genitrix felicem puerum primùm de terra leuârit, & cognatæ partum omnium proſequuta ſit ſeruitute.* Immò D. Bonauentura ad caput 5. vitę Chriſti cenſet, Virginem non ſolùm infantem propriis manibus ſuſcepiſſe, & pannis inuoluiſſe, ſed & ibidem vſque ad Ioannis circumciſionem commoratam fuiſſe: ac tandem D. Bernardus in eandem ſententiam propendens inquit: *Manſit Maria cum Eliſabeth vſq; ad diem natiuitatis Ioannis, donec puerum*

*D. Ambr. in c. 1. Luc.*
*D. Anton. 1. p. hiſt. tit. 5. cap. 1.*
*Beda ſuper c. 1. Lucæ.*
*Gloſſa interlin. & ord. ibid.*
*Lyran. in comment. hui. loci.*
*Simō Caſſ. & Orig. ſup. c. 1. Luc.*
*Hugo Car.*
*Pet. Dam. ſer. de Ioa. Baptiſta.*
*D. Bonau. c. 5. Vit. Ch.*

D. Bern. ſer. de pri. Ioan. Bap. *natum ſinu beatiſſima confoueret, & uno pariete remoto, propinquiorem redderet præſentiæ Saluatoris.* Ratio itidem huic ſententiæ ſuffragatur, nam cum B. Virgo inter alias cauſſas, ob quas Eliſabetham viſitauit, non infimum locum teneat, vt Ioannem Præcurſoré Domini videret, vt ait Beda, nec non vt antiquiori cognatæ, quoad poſſet inſeruiret, certè ad Mariæ pietatem & vrbanitatem pertinebat, vt tempore partus, quo magis eius ope, præſentiâ & miniſterio indigebat, minimè diſcederet, ſed potius ad partus leuamen Eliſabethæ adeſſet: imò & prolem ita foueret, vt velut de alterâ Noemi dici poſſet: *Suſceptum puerum poſuit in ſinu ſuo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.* Ac tandem (quod & fundamenta oppoſitæ ſententiæ penitus euertit) cum conſtet ex Euang.

Bed. in c. 1. Luc.

Ruth 4.

Lucæ

Lucæ hiſtoriâ, ſexto menſe poſt conceptionem Eliſabeth, in eius domum abiiſſe B. Virginem, & in eâdem etiam quaſi tribus mẽſibus permanſiſſe; certè cum præter omnes hos dies, quidam alij fuerint intermedij, quibus B. Virgo & ad iter ſe præparauit, & illud confecit, facilè, omnibus benè computatis, potuerunt nouem integri menſes compleri, antequam Virgo à Zachariæ domo diſcederet. *Intemerata* ergo *Virgo valedicens cognatæ ſuæ, redit inde domum verſus poſtridiè circumciſionis pueri, vt videtur; & hac die Eccleſia celebrat feſtum Viſitationis.* *Verba libelli Roſ. ſiue Pſalt. B.M.Virg.*

*D. Ioſephus ſponſam grauidam aduertent, eius dimittendæ conſilium captat, ſed ab Angelo confortatus vxorem ducit.*

CAPVT V.

SEx iam menſes tranſierant à deſponſatione Virginis cum Ioſepho, tres verò à conceptu filij Dei, & tempus aderat, vt Ioſephus nuptias cum ſponſa de more ſolenniter celebraret. *Nondum enim conuenerant, nondum ſimul habitabant, ille in ſuâ, & illa adhuc in ſuâ domo manebat.* Eam cum ſæpius ac familiarius inuiſeret, ex vteri tumore grauidam deprehendit, certus nullum ſibi cũ eâ connubialem interceſſiſſe cõgreſſum. Quare anxius, ac ſollicitus, eum pro inſigni, quâ præditus erat iuſtitiâ ac pietate, nollet Virginem infamare, decreuit clanculum ab eâ diuertere. Scio quidem grauiſſimos quoſdam Patres in eam abiiſſe ſentẽtiam, vt putarent, Ioſephum verè dubitaſſe de Virginis caſtitate, imò & iudicaſſe adulterij ream eſſe, valdèq; excruciatũ fuiſſe, quod illam

*Euſ. Emiſſ. hom in 1. Matth.*

Cur Ioſephus Mariam voluerit dimittere.

illam ſic intueretur grauidam, quam certiſſimè ſciebat ſe, ne mente quidem attigiſſe; fuiſſe tamen magnæ iuſtitiæ opus patienter illatam ſibi iniuriam tuliſſe abſque reuelatione, & accuſatione. Hi ſunt inprimis, Diuus Auguſtinus, qui ſcribens ad Macedonium ait: *Ioſeph, cui Virgo Maria, Domini Mater, fuerat deſponſata, cum eam comperiſſet eſſe prægnantem, cui ſe nouerat non eſſe commixtum, & ob hoc, nihil aliud, quàm adulteram credidiſſe, puniri tamen eam noluit; nec approbator flagitij fuit.* Idem de natali Domini: *Neſcit* (inquit) *interea Ioſeph Mariæ ſponſus, quid cum Maria ageret Angelus, ſubitoq; Ioſeph intuitu familiari, & licentiâ maritali aſpicit Mariam coniugem ſuam; vidit eam greſſibus grauari, intellexit Mariæ vterum grauidari, turbatur Ioſeph, homo iuſtus, quod Mariam quã de Templo Domini acceperat, & non-*

*D. Aug. ep. 54. tom. 2.*

*Idem ſer. 14. tom. 10.*

 *dum*

*dum cognouerat, & grauidam ſentie-
bat, & quam non meruerat in coniu-
gij honorem, iam haberet in confuſio-
nem: ſecumq́; diu æſtuans diſputat, di-
cens: vnde hoc contigit, quid euenit?
Non cognoui, non noui, non tetigi, non
violaui, non grauidaui; heu, heu, quid
contigit? Quid putas euênit? Per quem
Maria ſic cecidit? Quem ſibi pluſquam
me adulantem inuenit?* & infra:
*Quid ergò faciam? Quid agam? anxi-
or, gemo, curro, conſilium quæro, nec
penitus inuenio: prodo adulterium, aut
taceo propter opprobrium? Si prodidero,
adulterio quidem non cōſentio, ſed næ-
uum crudelitatis incurro, quia ſecun-*
*Deut. 22.* *dum libri Moyſi ſententiam, lapidan-
dam eſſe cognoſco; ſi tacuero malum,
conſentio, & cum adulteris portionem
meam pono. Quoniam ergò tacere ma-
lum eſt, adulterium prodere peius eſt,
nec per me fiat homicidium, dimittam*
*Idem hom. 36. de verb. Dom.* *eam coniugio.* hæc ille, qui ſimilia
tradit alibi. Subſcribit eidem ſen-
tentiæ

tentiæ Iuſtinus martyr dicens: *Ioſephus etiam is, qui Mariæ ſponſus erat, cum vellet ſponſam ſuam principio ejjcere, quod eam ex viro grauidatam eſſe exiſtimaret, id eſt ex ſtupro, in viſu, & ſomno ei præceptum eſt, ne vxorem ſuam repudiaret, cum ei dixiſſet Angelus, qui ſe ei patefecerat, ex Spiritu ſancto eſſe id, quod in vtero haberet.* Adde D. Ambroſium dicentem: *Quid præiudicat Mariæ, ſi cæleſtis conſilij myſterium Ioſeph non intelligit, & putauit, Virginem non eſſe, quia prægnantem viderat.* Ac tandem ne in referendis Patrum teſtimoniis multus ſim, eandem amplexi ſunt ſentẽtiam Hilarius, Chryſoſtomus, Eutymius, Theophylactus, & Nicephorus.

*Iuſt. dial. cum Thriphone.*

*D. Ambr. de Inſtit. Virg. c. 5.*

*Hilar. can. 1. in Math. Chry. ho 4. in Matth. Euthym. & Theophy. in c. 2. Matth. Niceph. l. 1. cap. 8.*

Illud tamen, cui hæc ſententia placuerit, aduertere oportet, præcitatos Patres minimè cõcedere (cùm id cum verbis Euangelij pugnare videatur) in illâ

falſa exiſtimatione, quam S. Ioſephus habuit de B. Virginis integritate quidquam peccaſſe; tum quia, cùm non agnoſceret, nec agnoſcere tūc teneretur myſterium Incarnationis, & videret vxorem ſuam prægnantem, certòq; nouiſſet, ſe nunquam attigiſſe illam, certè à temerarij iudicij maculâ liber erat, & immunis prorſus eius exiſtimatio; tùm quia forſan iudicauit illam fuiſſe grauidam, abſq; eius tamen culpâ, vt ſi per vim fuiſſet violata, cui delicto ſpecialis in veteri illâ lege erat pæna ſtatuta.

Altera ſententia.

Alij Patres in oppoſitam è diametro ſentētiam abeuntes, docuerunt B. Ioſephum agnouiſſe altiſſimum Incarnationis myſterium, idq; ſignificaſſe Euangeliſtam, cum dixit: *Inuenta eſt habens de ſpiritu ſancto*: inuenta, exponit D. Hieronymus, *à Ioſeph, qui licen-*

*Matth. 1.*

*tiâ penè maritali omnia nouerat vxoris arcana*: aiunt ergò illum, præ ſingulari ſuâ modeſtiâ ac humilitate, matris Dei conſortio indignum ſe judicantem, ſtatuiſſe in animo ſuo illam dimittere, memorem illius, quod dictum eſt Moyſi: *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Certè Petrus ſimili humilitatis ſpiritu ductus, illam protulit vocem: *Exi à me Domine, quia peccator ſum*: quibus etiam conſonant verba illa humilia D. Ioannis Baptiſtæ: *Non ſum dignus ſoluere corrigam calceamenti*: atque in huius figuram dicitur de Dauid: *Timuit introducere arcam Dei in domum ſuam*: præ magna enim ſua humilitate dicebat: *quomodo ingredietur ad me arca Dei?* Amplexatus eſt hanc ſententiam in primis Origenes, dum ait: *Iuſtus erat & illa Virgo immaculata*

*Exod. 3.*

*Luc. 5.*

*Ioan. 1.*

*2. Reg. 6.*

*Orig. in Matth. 1.*

*lata erat, ſed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem myſterij & ſacramentum quoddam magnificum in eadem cognoſcebat, cui approximare ſe indignum exiſtimabat; ergo humilians ſe ante tantam, & tam ineffabilem rem, quærebat ſe longè facere.* hæc ille. Cuius perſimilia lego apud Baſilium dicentem: *Inuenta eſt grauida de Spiritu ſancto: ambo inuenit Ioſeph, & conceptionem, & cauſſam: quod de Spiritu ſancto: quapropter timens eiuſmodi mulieris vir nominari, clanculùm ipſam dimittere voluit: non auſus publicare, quomodo res ipſius haberent: cùm autem eſſet iuſtus, aſſecutus eſt myſteriorum reuelationem: nam, dum hæc ipſa animo verſaret, angelus Domini apparuit ipſi per ſomnium dicens: Ne timeas accipere Mariam vxorem tuam; nec illud cogita, quod ſuſpicionibus abſurdis obumbrabis peccatum: juſtus enim appellatus es: non eſt viri iuſti iniquita-*

*D. Baſil. hom. 25.*

*tes ſilentio contegere; ne timeas accipere Mariam coniugem tuam;* oſtendit, *quòd non moleſtè tulit, neque faſtidiuit, ſed timuit ipſam, veluti ſpiritu ſancto repletam:* & illa verba Angeli: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* idem ſanctus Doctor oſtendit, quod Virginem Ioſephus non ſit abominatus, nec moleſtè tuleterit, ſed quod eā metuerit, vt Spiritu ſancto plenam: hæc ille. Quibus non poſſum, egregia D. Bernardi verba, etſi permulta, non ſubiungere; ait enim: *Quare voluit dimittere eā? Accipe & in hoc, non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Ioſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat dicēs: Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum: propter quod & Centurio à domo ſuâ illum prohibebat, cùm diceret: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ita ergò, & Ioſeph indignum*

*Bern. ſer. ſuper Miſſus eſt.*
*Matth. 1.*
*Luc. 5.*
*Matth. 8.*

*indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali & à tanta non debere ſibi vltra familiare præberi contubernium, cuius ſupra ſe mirabilem expaueſcebat dignitatem: videbat, & horrebat diuinæ præſentiæ certiſsimum geſtantem inſigne, & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem; expauit Centurio præſentiæ maieſtatem; exhorruit nimirũ & Ioſeph, ſicut homo, huius tanti miraculi nouitatem, myſterij profunditatem, & ideò occultè voluit dimittere eam. Miraris, quod Ioſeph prægnantis ſeſe conſortio Virginis iudicabat indignum, dum audias, & ſanctam Eliſabeth eius non poſſe ferre præſentiam, niſi cum tremore quidem, & reuerentia? ait namque; vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideò itaq; voluit dimittere eam. ſed quare occultè, & non palàm? ne fortè diuortij cauſſa inquireretur, exigeretur*

*ratio.*

*ratio. quid enim vir iuſtus reſponderet populo duræ ceruicis, populo non credenti & contradicenti? ſi diceret, quod ſentiebat, quod de illius puritate comprobauerat, nonne mox increduli, & crudeles Iudæi ſubſannarent illum, lapidarent illam? quando namq; veritati crederent tacenti in vtero, quam poſtea contempſerunt clamantem in tẽplo? quid facerent, necdum apparenti, cui poſtmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis coruſcāti? meritò ergò vir iuſtus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiā, voluit occultè dimittere eam.* Hanc eãdem opinionem ſequutus Cancellarius Pariſienſis tomo quarto in epiſtolà, quam de inſtitutione feſti D. Ioſephi ſcripſit, ait: Deiparentem, antequam ad Eliſabethã inuiſendã abiret, ſtupendum incarnationis myſteriũ chariſſimo ſponſo aperuiſſe; obſtupuiſſe verò (vt par erat) Ioſephũ, & de

con-

coniuge dimittendâ, quod illius conuictu eſſet indignus, cogitaſſe. Et Viguerius tradit, ſanctitatis ſplendorem effulgentem poſt Chriſti conceptionem in integerrimæ Virginis vultu, in admirationem Ioſephum rapuiſſe. & paulò poſt: tanqnam indignum ab eius conſortio ſe voluiſſe ſequeſtrare.

*Viguer. in Theol. inſtit. c. 20. § 9.*

Tandem horum Patrum ſententiæ ſubſcribunt alij grauiſſimi Doctores, Theophylactus, Richardus de S. Victore, Eggius, & Salmeron, fauetq; illi inſigne teſtimonium ex reuelatione ſanctæ Brigittæ factâ, cuius verba ſunt hæc: *Poſtquam conſenſi nuncio Dei, Ioſeph videns vterum meum virtute ſpiritus ſancti intumeſcere, expauit vehementer, non ſuſpicatus contra me aliquid ſiniſtrum, ſed recordatus dicta Prophetarum prænunciantium, filium Dei naſciturum de Virgine, reputabat*

*Theoph. in locum hūc Matth. Richard. ibid. Eggius ib. Salm. to. 2. tract 3. S. Brigit. l. 7. c. 25.*

*reputabat ſe indignum tali ſeruire matri, donec Angelus in ſomnis præcepit ſibi non timere, ſed cum charitate mihi miniſtrare.*

Inter extremas has ſententias iam adductas, media via probabilior cenſeri poteſt; nimirum, B. Ioſephum, cum vxorem prægnantem vidiſſet, non exiſtimaſſe quidquam mali de B. Virgine, ſed nec quidquam boni, ſed ſummâ perplexitate cruciatum viriliter ſuſpendiſſe iudicium, illud Eccleſiaſtici in memoriam reuocãs: *Deprime cor tuum, & ſuſcipe verba intellectus, & ne feſtines in tempore obductionis*: non deſunt grauiſſimi Patres, qui huic ſententiæ adhęreant; nam inprimis Chryſoſtomus, vel quicunq; alius eſt auctor imperfecti operis, ait: quod cum variæ cogitationes in Ioſephino pectore, velut duello mirando præliarentur:

Tertia ſententia.

*Eccl. ſ. 2.*

*Auct. imperf. hom. 1. Matth.*

H nam

nam grauiditas adulteriũ redolebat, ſanctitas verò Virginis illud explodebat; vterus intumeſcens turpitudinem ſuadebat, at caſtitas Mariæ Ioſepho ſatis perſpecta, violatam eius virginitatẽ non patiebatur credere; ſenſus vrgebat, aliquid turpe ibi adeſſe, at ratio pugnabat, ſanctitati Virginis magis fidendum, quàm vteri tumori credendum; cum (inquam) Ioſeph varijs his cogitationum fluctibus hùc & illùc ageretur, *tanquam vir iuſtus,* inquit Chryſoſtomus, (*ô inæſtimabilis Mariæ laus*) *magis credebat*

Ibidem.

*caſtitati eius, quàm vtero intumeſcenti; plus gratiæ, quàm naturæ conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat; poßibilius credidit, mulierem ſine viro poſſe concipere, quàm Mariam poſſe peccare:* reddens autem rationem, quare nihil mali ſuſpicatus fuerit Ioſeph,

ſeph, ait: *quoniam audito verborum Mariæ, & conſideratio vitæ eius mala ſuſpicari de eâ non ſinebat Ioſeph; conſideratio autem conceptionis eius non permittebat eum ad plenum bona æſtimare de eâ; & ſic animus eius inter vtraſq; partes fluctuabat, & tenere eam timebat, & tradere eam non audebat, propter hoc neceſſaria fuit ei reuelatio diuina*: hæc ille.

Adſtipulatur eidem ſententię D. Hieronymus, dum opinatur, Ioſephum nihil mali ſuſpicatum fuiſſe de B. Virgine, ſed latuiſſe illum tunc myſterium Incarnationis, & in admirationem raptum, ſuſpendiſſe iudicium. Verba Hieronymi ſunt hæc: *Hoc teſtimonium Mariæ eſt, quod Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans, quod viderat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat*: ſubſcribit eidem Haymo, dum in Vigilia Natiuitatis ait: *Cur dimittere eam voluit?* ideò

*Hay. in Vigil. Natiu. Dom. in par. hyem. ſub initio.*

*ideò ſcilicet, quia nec totum ſciuit, nec totum ignorauit. Nouerat in vtero habenten non de carnali concubitu, ſed ſpiritali virtute; de quo verò ſpiritu conceperit, ignorabat, quod ei aperitur, quaſi neſcienti de ſpiritu, dum inducit, ſancto.* Gloſſa ordinaria ait: *Sciebat illam eſſe inculpabilem, ſed vnde, vel quid eſſet, ignorabat, & ideò mediam elegit viam effugiendi, vt neque innocentem proderet, neq; rei incognitæ conſentiendo, ſe reum faceret coram Deo. Vera virtus eſt, cùm nec pietas ſine iuſtitiâ, nec ſine pietate iuſtitia, quæ ſeparatæ ab inuicem dilabuntur.* Fauentq; ei ſententiæ non parùm verba Matthæi: *Hæc eo cogitante, Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph:* ex quibus non obſcurè colligitur, quod nondum deliberauerat, nec determinatè iudicauerat, Virginem quidpiam turpè commiſiſſe, ſed tantùm apud ſe varijs cogitationibus agitari

*Gloſſ. ord. in c. 1. Mat*

*Matth. 1.*

tari

tari, variaſq; rationes hinc, & inde emergentes attentâ meditatione exploraſſe. In quo ſanè prudenter ſe gerebat, dicente Eccleſiaſtico: *Vir in multis expertus, multa cogitabit*: non ſolùm autem in eo prudentem, ſed virum prodigioſæ iuſtitiæ & bonitatis ſe oſtentauit, cum ſponſæ tumentẽ vterum, & ad ſenſum indubitata conceptus ſigna videns, neq; expoſtulauit ab vxore, nec queſtus eſt apud affines, nec zelotypiæ ardore excanduit, nec in ius ſponſam vocauit, aut ad ſubeundam pœnam expoſuit, ſed æſtus ſuos apud ſemetipſum preſſit, tandem de diuortio cogitãs, vt indicat Euangeliſta dicens: *occultè voluit eam dimittere*: hæſitans enim ob quaſdam rationes, adulterium metuebat; ob alias rurſum, ab hac cogitatione reuocabat, quòd exploratos haberet

*Ecclef.34.*

*Matth.1.*

inculpatiſſimos vxoris mores; ſpiritumq; diuinum vndique ſeſe prodere in ipſius oculis, geſtu, inceſſu, & ſermone, fieriq; poſſe non dubitabat, vt ex Deo, à quo neceſſe eſt pendeat omnis fæminarum conceptus, vxor eius nouo modo concepiſſet; maximè quod non ignorabat vaticinium Iſaiæ: *Ecce Virgo concipiet*, & quod iam proximus erat aduētus Meſſiæ, iuxta Danielis computationem in ſuis hebdomadibus: metuens ergò, ſe diuinam maieſtatem offenſurum, ſi, aut ſeruaret, quàm adulteram timebat; aut traduceret cum infamiæ periculo, quàm ex Deo concipere potuiſſe autumabat, nec voluit illam traducere, nec ſeruare, ſed occultè dimittere. Quem autem modum in dimittendo illam decreuiſſet, non eſt vna omnium ſententia; nam Rupertus & Abulenſis

Iſai. 7.

Quem modum ſeruare voluerit Ioſephus in dimittendâ Mariâ.

bulenſis, quos ſecutus eſt Simon de Caſſia, fugam fuiſſe meditatum, ſicut fecit Dauid, aiunt; quod & factitârunt non pauci propter diuerſos rerum euentus. Cornelius verò Ianſenius ait: voluiſſe illam dimittere libello repudij dato, quem ſecreto, & non in publico dari potuiſſe exiſtimat; nec infirmat hanc Cornelij ſententiam, quod obiicit Abulenſis non potuiſſe libellum repudij dari, niſi conſummato matrimonio; tum quia verba legis, *Deut. 24.* nullum prorſus verbum habent de matrimonij conſummatione; tùm, quia ſi permiſſum erat eo tempore libellum repudij dare vxoribus infidelibus poſt cõſummatum matrimonium, & ablatam virginitatem, cur non etiam antè ſine tanto detrimento dimitterentur? quia tamen exiſtimo, libellum non potuiſſe

dari, niſi publicâ auctoritate, vt ſic inſpicientibus fidem faceret, & ne quiſque prout ſuo arbitrio libuiſſet, libellum daret; idcircò veriſimilius cenſeo, Ioſephum voluiſſe dimittere Virginem per fugam, non per libellum, alioquin volens non traducere, traduceret eam.

Reſpõdetur tacitæ obiectioni

Illud tamen minimè ſilentio præteribo, quid ſecundum hanc mediam ſententiam, quam iuxta multorum Patrum auctoritatem veriorem cenſemus, dicendum ſit ad obiectionem illam, quòd cùm Ioſephus comitatus fuerit Virginem vſque ad domũ Zachariæ, non potuit Incarnationis myſterium ignoráſſe, cùm palàm de illo collocutæ fuiſſent Maria & Eliſabeth. Quidam recentiores interpretes, vt hanc difficultatem fugiant, fatentur Ioſephum intemeratam Virginẽ

non

non fuiſſe in illo itinere comitatum; quod planè videtur ſenſiſſe Lyranus, dum ait: *De licentiâ Ioſeph abijt ad cognatam ſuam; ipſa autem redeunte, videt Ioſeph vterum eius grauidum.* Et Gratianus in vitâ S. Ioſeph refert, eo tẽpore occurriſſe fabrile quoddã opificium, quod recuſare non potuit S. Ioſeph, & ob hoc impedimentum non fuiſſe comitatum Virginem: ſed quia in hanc ſententiam minimè gentium duci poſſum, propter rationes, quas ſuprà commemoraui, facilius crediderim diuino cõſilio factum eſſe, quod ob aliquam rationem nobis ignotam, quamuis Ioſeph comitatus fuerit B. Virginẽ, colloquio illi inter ipſam, & Eliſabeth non adfuerit; vel ſi adfuit, diuinitus impeditum fuiſſe, ne myſterium Incarnationis agnoſceret; ſed quòd per Angelum poſtea ipſi

*Lyra. ſup. 1. c. Matth.*

Ioſephus confortatur ab Angelo.

innotuit, propter multiplices fructus, qui ex perplexitate illâ Ioſephi percipi poſſunt.

Dum igitur his cogitationibus Ioſephi animus valdè ſolicitaretur, ecce Domini Angelus Gabriel (vt volunt Euſebius Emiſſenus, D. Auguſtinus, Chriſtianus Druthmarus, Haymo, Chriſtophorus de Caſtro) per ſomnium apparuit ei dicens: Ioſeph fili Dauid, ne metuas celebrare nuptias, & accipere Mariam tibi in vxorem, nam fœtus in illa conceptus à Spiritu ſancto profectus eſt: pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM, ipſe enim ſaluũ faciet à peccatis populum ſuum. Excitatus Ioſeph à ſomno, fecit quod iniunxerat ei Angelus Domini, & accepit in vxorem ſponſam ſuam *cum affectu, dilectione, & omni diligentiâ domeſticos concernente* (vt inquit D. Baſi-

*Euſ. Emiſſ. in 1. Matth Aug. ſer. 34. de nat. Domini. Druthm. & Haymo in 1. Matt. Chriſt. Caſtr. hiſt. Deip. c. 6.*

Baſilius ) *pro vxore illam habuit, à nuptialibus verò congreſsionibus abſtinuit.* *D. Baſil. orat. de hum. Chriſti generatione.*

### *D. Ioſephus, Auguſti edicto pariturus, cum B. Virgine Bethlehemum proficiſcitur.*

## CAPVT VI.

SEmeſtre tempus effluxerat à reditu MARIÆ è montanis, nouem verò menſes à conceptu eiusdem, & ſalutatione per Angelum factâ; cum ecce Auguſtus Cæſar, qui in ſummâ pace Romanum Imperium tùm adminiſtrabat, edicto promulgato vniuerſis indiceret ditioni ſuæ ſubiectis, vt in ſuâ quiſque ciuitate, vnde eſſet oriundus, nomen ſuum publicis tabulis deſcribendum profiteretur, deſignato cenſu perſoluendo. Fuit hæc deſcriptio prima earum, quæ acci-

dit præſide Syrię Cyrino. Edicto parens Ioſephus, egreſſus Nazarethâ vrbe Galilææ, aſcendit in Iudæam in ciuitatem Dauid, dictam Bethlehem, eò quod eſſet de domo & familiâ Dauid, vt cum cæteris ſuæ familiæ, profiteretur ipſe, & Maria deſponſa ei vxor, quæ erat prægnans.

Placet D. Athanaſij Epiſcopi Alexandrini ex eius concione de itinere ſanctiſſimæ Mariæ & B. Ioſephi ad nomen profitendum, pauca quædam apponere, quæ nobis hoc Mariæ iter & comitātibus & commentātibus lucem afferent, viamq; reddent planiorem. *Ibat*, inquit, *cum Mariâ Ioſephus partim adiutor, partim eorum, quæ futura eſſent, ſpectator & teſtis. Non quod Virgini opus eſſet adiutor, vel ei qui in eius vtero portabatur. Ille enim omnium auxiliator eſt, ad quem clamantis Prophetæ ſpectat oratio. Auxilium*

*xilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Sed quia diuinæ prouidentiæ myſterio Ioſephum Virgini adiungi comitem oportebat, vt quaſi ſub viro eſſe crederetur, & res tanta diabolū lateret, neq; ſcire poſſet quemadmodum Deus cum hominibus verſaretur.* Eſt Bethlehemum centeſimo decimo quarto milliario à Nazaretha; ab Ieruſalem autē verſus Auſtrum ad ſiniſtram viæ quę ducit Hebron, milliario ſexto, in cliuo collis Euphratæ, verſus Orientem ſitum; nam collis paruus eſt, ab ortu in occaſum longitudine protēſus, à Septentrione in Auſtrū latitudine modicâ, ſed vndique rupe inacceſſâ penè cinctus; quamuis in Occidentem procliuior ſit: vbi ciſterna illa viſitur, ex quâ Dauid aquam ſibi quondam exportari deſiderauit. E regione ad Orientem ſpelunca eſt iuxta murū

Lege Annotat. P. Chriſt de Caſtro in c. 7. hiſt. Deip.

Diſtantia Bethlehemi à Nazaretha, eiuſque deſcriptio.

ciuitatis

ciuitatis ſub rupe excauatâ naturâ magis, quàm arte, aut communi paſtorum vſui, aut colonorum pauperum, vt videtur, parata: longa quidem ab Oriente in Occidentem, ſed parumper ad Auſtrum vergens, pedibus circiter quadraginta, lata duodecim, alta vt cõtingi illius tectum poſſit ab homine mediocriter erecto, ſi manũ in ſublime ferat. Os ſpeluncæ ad Orientem patefactum putatur: nam modò occluſum eſt; ad cuius læuam profundior eſt receſſus in ipſo viuo lapide excauatus, vnde longitudo illa ducitur: in dexrrâ propior ad os ſpeluncæ altera breuior eſt, tribus, quatuorue pedibus demiſſior, intra ipſum parietem in quadrum exciſa, vndique pedum quatuor: in quâ prę ſepium erat iumentis paſcendis accommodum è ligno conſtructum. In

hanc

hanc ergò ſpeluncam ad agrum proximum Salomæ cognatæ vtrique pertinentem, recepit ſe Ioſephus cum ſponſa tandem ſua, aut quod in vrbe locus non inueniretur, propter copioſam hominum ad deſcriptionem confluentium multitudiné, aut quod naſciturus infans, tam humile hoſpitium libens ſeligeret ad naſcendum.

Ioſephus cum Maria ſpeluncam ſubit.

Ibi cum eſſent, nouem completis mẽſibus à natura definitis, vt ſacer fætus in lucem ederetur; nullo interueniente dolore, nullà carnis apertione, nullà obſtetricis operâ indigens, ſed tam integrâ manens ex partu, quam integra manſerat ex conceptu, (ſemper enim Virgo perſeuerauit) Maria peperit filium ſuum primogenitum, Deum hominẽ in profundo ſpeluncæ receſſu, vt ab antiquis acceptum eſt, quod

Chriſtus naſcitur.

eſſet à tumultu remotior ; atque ipſa natum ſuſcepit infantem, ipſa pannis inuoluit, ipſa faſcijs circũligauit, & reclinauit in illo præſepio, boue & aſino eum cõfouentibus, quia nullus cõmodior locus in paupere illo hoſpitiolo reperiebatur.

Paſtorum aduentus.

Illic paſtores læto nuntio nati Saluatoris, ab Angelo Gabriele accepto, inuenerunt Mariam & Ioſephum, & infantem poſitum in præſepio. Quem poſtquam hilari vultu pro voluntate conſpexerunt, ac venerati ſunt, re ipſa probauerunt verum fuiſſe angelorũ ſermonem de puero, illumq; palàm fecerunt Mariæ, & Ioſepho, cæteriſque, quos obuios habebant, retulerunt, & omnes qui audierunt admirati ſunt. Maria autem omnia, quæ geri videbat, tacita conſeruabat, conferens in corde ſuo. Fortunatiſſi-

natiſſimus etiam mortalium Ioſephus, conſolatione plenus, ad puerum natum accedens, eum continuò venerabatur, adorabat, gratias ei agebat tùm pro collato, natiuitate ſua, toti mũdo beneficio; tum ſibi nominatim, in ſuum curatorem ipſum eligendo: ad quod munus fideliter diligenterq; præſtandum, & in omnibus ſeruiẽdum ſe promptiſſimum offerebat. Imò perſępe ei contigiſſe credendum, vt vérũ pulchri amoris Deum humanâ carne indutum contemplans, ardẽtiſſimis amoris flammis vltrà quam dici poſſit, exureretur. D. Athanaſius (id referente Gratiano) contemplabatur porticum Bethlehemiticum, velut ſacerrimum templum, vbi præſepe erat altare; infans Deus humanâ carne indutus, ſanctiſſimum ſacramentum; ſacerdos,

Ioſephi ad puerum natum deuotio.

*Grat. l. 3. cap. 4.*

Ioſeph; cantores Angeli; æternus Pater, Epiſcopus; Maria thronus, ac ſedes Epiſcopalis. Simili modo licebit nobis contemplari ſacrum illud antrum, non ſolum velut domum orationis, ſed vt cæleſtem aulam: nam, ſi cælum à cælando dicitur, quia cæleſtes opes cælat, meritò domuncula illa, cælum meretur appellari, quæ ſummum Incarnationis myſterium tegebat, & vtriuſque coniugis virginitatem cælabat. Quod ſi in cælo beatiſſima habitat Trinitas, adeſt & in hac cæleſti domunculâ ſacroſancta illa Trinitas, Ieſus, Maria, & Ioſeph, ſic enim loquitur magnus ille Cancellarius Pariſienſis: *Cuperem vt mihi verba ſuppeterent ad explicandum tantum myſterium, tam admirandam, venerandamq; Trinitatem, IESVS, MARIA, & IOSEPH.*

*Gerſ. ſerm. de natiu. Virg.*

Ioſeph, Maria, Ieſus, SS. Trinitatẽ referunt.

Maria

Maria quidem refert Patrem, cum integra manens, eundem in tempore conceperit, ac pepererit, quem ille ab æterno genuit: Ieſus, ipſamet Verbi diuini perſona eſt; Ioſeph autem ſpiritus ſancti perſonam repręſentat; quia ſicut ille amor eſt Patris, & Filij, ſponſus animarum, ac paracletus, & conſolator; ita B. Ioſeph matrem & prolem ardentiſſimè amabat, Deiparæ Virginis ſponſus, ac totius illius ſacræ familiæ ſolatium, & gaudium erat: ac tandem, ſi in cæleſti illâ beatorum aula cuncti illius cælicolæ clara Dei viſione fruuntur, non ſecus Maria & Ioſeph clarâ humanitatis Chriſti intuitione continuò lætabantur.

Ah quo ſpiritali gaudio, quantaue exultatione repletus fuit Ioſephus, aſpiciens diuinũ hunc Infantulum tot ſeculis à priſcis

Ioſephus quantùm gauiſus aſpectu pueri.

illis Patribus expectatum? Si e-
Ioan. 8. nim, vt Chriſtus dixit: *Abraham exultauit, vt videret diem meum; vidit & gauiſus eſt*: de viſione prophetica locutus eſt, quâ aduentum Christi à longè præodoratus eſt. Potentiſſimi etiam Reges Verbum diuinum humanâ carne indutum proprijs oculis intueri ardentiſſimè cupientes, minimè obtinuerunt, Chriſto
Luc. 10. Domino dicente: *Multi Reges deſiderauerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*; at Ioſephus vidit eundem recens natum, vidit infantem, vidit puerum, vidit iuuenem, imò & per triginta annos *manus eius contrectauerunt Verbum vitæ* (vt D. Ioannis verbis vtar) ſub humanæ carnis mole deliteſcens. Moyſes (vt ſacra narrat hiſtoria) tametſi Deo familiariſſimus, cum ab eo poſtulaſſet, vt vultum ſuum ſibi mani-

nife-

nifeſtare vellet, ſolum obtinuit à tergo illum ſub quadam apparente humanâ ſpecie proſpicere: *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Exod. 33. At Ioſepho non à tergo ſolùm illum videre, ſed & vultum intueri, exoſculari, & alitorem omnium alere fuit conceſſum; adeò, vt illi eidem, de quo cecinit regius Vates: *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore:* Pſal. 103 & rurſus: *Et tu das illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione:* Pſal. 144. illi (inquam) eidem Ioſephus manum ſuam aperiret, vt paterno munere fungens, alimentum omnium creatori perſæpè porrigeret.

*D. Ioſephus circumciſo infantulo SS. nomen IESV imponit.*

CAPVT VII.

QVod ſi grandis Adami pro-toparentis noſtri dignitas o-lim eſt habita, quod nomina a-nimantibus impoſuerit: *quod vo-cauit Adam ipſum eſt nomen eius:* absque vlla comparatione ma-ior erit Ioſephi dignitas, quod nomen impoſuerit non creatu-ræ, ſed creatori, tanquam pro-prium Dei. Refert regius Vates, quòd Deus ſtellas numeret, & e-is nomen imponat: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Aliquid tamen iſto excellentius Deus ipſe Ioſe-pho communicauit, dum non ſtellis, ſed ei, qui numerat ſtel-larum multitudinem; non aſtris, ſed ei, qui nomen illis impoſuit, ipſe nomen imponat. Ioſephus itaq; meritò patris IESV nomen meretur, quia patrinus eius fuit; manifeſtum eſt enim, patrinum *patrem* appellari; immò quandã ſpiri-

Gen. 2.

Pſal. 146.

Magna di-gnitas Io-ſephi ex impoſitio-ne SS. no-minis IESV

ſpiritualis paternitatis dignitatem cõtrahere; Ioſephum enim in Circumciſione Chriſti (quæ tunc inſtar baptiſmi erat) patrinũ eius fuiſſe non obſcurè conſtat; quia, vt D. Hieronymus ait, miniſter fuit illius circumciſionis; vel, ſi non fuit, ex diuino tamen oraculo nomen Iesv illi impoſuit, vt docent D. Bernardus, & Ephræm Syrus, ex illo: *Pariet filium, & vocabis nomen eius IESVM:* Certè ex ſcriptura ſacra ſatis apertè colligitur nullum fuiſſe deſignatum circumciſionis miniſtrum, ſed vel patrem ſolitum filium circumcidere, vel matrem, vel quemuis alium, vt notat Abulenſis ſuper Ioſue. De patre conſtat Geneſis 17. *Tulit Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſosq́; quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ, & circumcidit*

*Hier. tex. 4 opuſ. p. 1.*

*Ber. ſer. 1. de circum.*
*Ephr. Syr. orat. de transfig. Dom.*

Quis olim circumciſionis miniſter?

*Abul. c. 5.*

*dit carnem præbutij eorum ſtatim in ipſa die.* Et cap. 21. *Vocauitq́ Abraham nomen filij ſui Iſaac, & circumcidit eum octauo die, ſicut præceperat ei Deus.* De matre etiam patet Exodi 4. & 1. Machab. 1. vbi legimus à multis matribus proprios filios impunè fuiſſe circumciſos. Et quamuis circumciſione exiſtente in veteri lege præſtantiſſimo omnium ſacramento, videri poſſit, eius adminiſtrationem ad ſacerdotes pertinuiſſe; nullus tamen in ſacris literis locus eſt, qui nos id cogat aſſerere; vnde non conuenit, vt à nobis hæc neceſſitas certi miniſtri precepto circumciſionis imponatur. Hieronymus in paruulo quodam tractatu, & doctiſſimus Optatus Maximus, quos pleriq; recentiores ſequuntur, cenſent Christum à Ioſepho circumciſum: Bernardum verò putaſſe, ſanctiſſi-

*Hier. to. 4* Ioſephum Chriſtum circumcidiſſe.

ſanctiſſimam Virginem hoc functam officio, contendunt nonnulli, eò quod dicat: *Virgo Christum genuit, lactauit, & octauâ die circumcidit.* Itaque ſicut olim Sephora non timuit filium ſuum circumcidere, quemadmodum in Exodo narratur, vt præcepto Dei ſatisfaceret; ſic etiam Virgo ſacratiſſima multò minus exhorruit Filium ſuum circumcidere, quem etiam ſacrificare non dubitaſſet, ſi Deus ei, vt olim Abrahamo, id præcepiſſet. Nec deſunt Auctores, qui cenſeant à matribus maiori ex parte ſolitos circumcidi filios, quoniam cum naturâ piæ, & animo teneriores ſint, circumciſionem quo blandius & ſuauius poterant, adminiſtrabant, reſecantes tantulam particulam, quantula ſatis eſſet ad ritus, & legis ſatisfactionem. Id autem non dubium eſt, à Virgine

*Ber. ſer. de circumciſ.*

*Exod. 4.*

gine prꝑſtitum, quæ filij ſui illam particulam, tanquam ſacratiſſimi corporis Chriſti reliquias pretioſiſſimas ſemper aſſeruauit. Verum, ſi ille qui circumcidebat, nomen imponebat, Ioſephus impoſuit infanti nomen, quod dictum fuit Mariæ ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur, ergò Ioſephus ipſe circumcidit puerum.

De loco circumciſionis.

Quæres autem vbinam illum circumciderit? Reſpondet S. Epiphanius, dicens: *Natus eſt in Bethleem, circumciſus in ſpelunca, oblatus in Ieruſalem*, Hilarius autem in templo id factum eſſe contendit. Nicephorus verò: *Circumciditur in Bethlehem, in domo Ioſephi, & ibi nomen IESV accipit.* Mihi magis placet Epiphanij ſententia; parentes enim infantem non deferebant in templum vſque ad diem, quo mater purificabatur,

*Epiph. hær. 19 §. 2.*
*Hilar. Pſ. 118.*
*Nic. lib. 1. hiſt. c. 12.*

neque

neque ipſa templum ingredi poterat, donec purificationis tempus adueniſſet. Mater autem Chriſti diligentiſſima fuit legis obſeruatrix, quæ cum circumciſioni interfuerit, vt Patres communiter ſentiunt, euidenti colligimus conſequentiâ, non in templo, neque in domo Ioſephi, quam nullam in Bethlehem habebat, nam ad eam ſtatim ab aduentu ſuo diuertiſſet, ſed vt veriſimilius cenſet Epiphanius, in ſpeluncâ, vbi natus erat, factam Chriſti circumciſionem. His præmiſſis hiſtoriam D. Ioſephi ita proſequimur.

Die octauo à natiuitate, qui Dominicus erat, Calendis ipſis Ianuarij, cum vicini & cognati, more gentis conueniſſent ad circumciſionem pueri, in eâ ipſa ſpelunca, quâ in lucẽ editus fuerat, circumcidit eum Ioſephus, *Quo ritu circumciſus Chriſtus.*

&

& impoſuit illi nomen IESVS, quod ab Angelo Mariæ dictum fuerat, priuſquam in vtero conciperetur. At tùm demùm infantis nomen cum Mariæ & Ioſephi, iuxta Cæſaris edictum, in publicis Romanorum tabulis, perſoluto cenſu, deſcriptum eſt, quo Romanus ciuis efficeretur, vt præter cæteros clariſſimè teſtatur Paulus Oroſius ita ſcribẽs: *Eodem anno tunc primum idem Cæſar, quem his tantis myſterijs prædeſtinauerat Deus, cenſum agi ſingularum vbiq; prouinciarum, & cenſeri omnes homines iuſsit, quando & Deus homo videri, & eſſe dignatus eſt. Tunc igitur natus eſt Christus Romano cenſui ſtatim aſcriptus, vt natus eſt. Hæc eſt illa prima, clariſsimaq; profeſsio, quæ Cæſarem omnium principem, Romanosq; dominos rerum ſigillatim, cunctorum hominũ editâ deſcriptione ſignauit, in quâ ſe, & ipſe, qui cunctos homines*

Nomen IESV Rom: tabulis aſcriptum.

*Oroſ. lib. 6. cap. 22.*

mines fecit, inueniri hominem, aſcribiq́; inter homines voluit. Quod numquam penitus ab orbe condito, atq; ab exordio generis humani in hunc modũ, ne Babylonio quidem, vel Macedonio, vt non dicam minori cuiq; regno conceſſum fuit. Nec dubium quin omnium cognitioni fidei, inſpectioniq́; pateat, quòd Dominus noſter IESVS Chriſtus hanc vrbem nutu ſuo auctam, defenſamq́; in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potiſſimè voluit eſſe cum venit, dicendus vtiq; ciuis Romanus cenſus profeſſione Romani. Idem alibi: Poſtquam Redemptor mundi Dominus Ieſus Chriſtus venit in terras, & Cæſaris cenſu ciuis Romanus aſcriptus eſt, dum per duodecim, vt dixi, annos clauſæ belli portæ beatiſſima pacis tranquillitate cohibentur, Caium nepotem ſuum Cæſar Auguſtus ad ordinandas Aegypti, Syriæq; prouincias miſit.

*Idem lib. 7 cap. 3.*

*D. Ioſephus Magorum adorationi adeſt, iisq́; colloquitur.*

## CAPVT VIII.

*Cypr ſer. de ſtella & Magis.*
Magorum aduentus.

NAto in Bethlehem Saluatore (verba S. Cypriani refero) *audita eſt in Ephrata, eius in terris præſentia, & vſq; ad ſyluas, camposq́; gentium, nouæ huius natiuitatis eſt fama porrecta: in Iudæa in paſtoribus, & Angelis, primò ſunt hæc gaudia celebrata, nec multò poſt Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Saba præclari ſtella luminis cæleſtis numinis ſplendoribus indicauit. Ipſi itaq; Magi* (ait Ammonius Alexãdrinus) *tertio decimo die Ieroſolymam, nouâ quadam ſtellâ duce venientes, Regem Iudæorum prædicant natum, ac communicato cum Herode principe, & ſcribis conſilio, in Bethlehem inuentum adorant, ac venerantur muneribus.*

*Ammon. harm. euang.*

Vtrum Ioſephus præſens.

An verò Ioſephus tum adfuerit, dubium eſt apud Doctores, propter

propter verba Euangeliſtæ, quibus ait: *inuenerunt puerum cum Maria matre eius:* & non dixit cum Ioſeph. Id enim ob triplicem rationem dixiſſe arbitror, (inquit P. Carthagena) Prima, nam vt ait doctiſſimus Rabanus, diuino conſilio factum eſt, quod abeſſet tunc Ioſeph, ne aliqua prauæ ſuſpicionis occaſio daretur gentibus, communi generationis ratione hunc paruulum progenitum fuiſſe: ex Sibyllinis namque libris conſtare poterat eis, ex intactâ Virgine Chriſtum naſciturum. Verùm quia difficilè mihi creditu eſt, Ioſephum ibi non adfuiſſe, congruentius dici poſſe exiſtimo, conſultò Euangeliſtam ſolam commemoraſſe Mariam adeſſe cum IESV, vt ſignificaret, recens natum puerum matrem ſolam habere in terris, patrem verò non niſi in cælis: vel

*Matth. 2*

*Carthag. tom. 1. lib. 6. hom. 2.*

*Rab. in 2. c. Matth.*

tandem cum Maria dicit inuentum fuiſſe puerum à Magis, vt omnium Chriſti myſteriorum ſociam, ac indiuiduam comitem ſemper Mariam extitiſſe oſtenderet. Si enim rem altius cõtemplemur: ſi prædeſtinatus eſt Ieſus ab æterno, ſed non abſque Maria: ſi concipitur in tempore in Nazareth, ſed non niſi in Maria conceptioni aſſenſum, & viſcera præſtãte. Naſcitur in Bethlehem, ſed non niſi ex Maria Virgine. Si adoratur à militiâ cæleſtis exercitus, ſed in brachiis Mariæ, quæ infantem lactabat, atque fouebat. Si inuenitur à paſtoribus, & inuiſitur à Magis, ſemper tamen adeſt Maria, quæ *conſeruabat omnia verba, conferens in corde ſuo.* Si præſentatur in templo, at non ſine Mariâ illum offerente. Si proficiſcitur in Ægyptum impij Herodis crudelitatem

*Luc. 1.*
*Luc. 2.*
*Ibidem.*
*Ibidem.*
*Matth. 2.*
*Luc. 2.*
*Ibid.*
*Matth. 2.*

tem fugiens, tunc in Mariç vlnis
geſtatur. Si in nuptijs Canæ Ga- *Ioan.2.*
lilææ primum edit miraculum,
ſed certè poſtulante Mariâ illud
produxit. Si aſcendit in tem- *Ibid.*
plum, Maria illũ aſſociat: quod
ſi cùm à templo reuerſus eſt, ab
ea diſceſſit, ſed confeſtim Maria
adeſt, illum inter Doctores de
rebus diuinis diſſerentem inue-
niens. Cum etiam Chriſtus pen- *Luc.2.*
det in cruce, prima adeſt Maria
iuxta crucem velut immobilis
columna. Si deponitur de cru- *Ioan.19*
ce, adeſt Maria, in gremio ſuo di-
lectum Filium ſuſcipiens. Si ſe- *Luc.23.*
pelitur in ſepulchro nouo, quod
exciſum fuerat de petrà, adeſt
Maria, quæ pariter cum Ioſepho
ab Arimathæa ſindone illum in-
uoluit. Si reſurgit ex tumulo,
continuò glorioſus primò appa-
ret Mariæ. Si aſcendit in cælum, *Act.1.& 2.*
in conſpectu Mariæ eleuatur. Si

in cænaculo exiſtentibus Apoſtolis diuinum ſpiritũ ſuper eos mittit, ibi adeſt Maria, quæ maioribus diuinæ gratiæ chariſmatibus præ omnibus donata fuit.
Marc. vlt. Et ſi Filius ſedet ad dexteram Patris, ſecum conſidere fecit & matrem velut cæli Reginam, in veſtitu deaurato, circumdatam varietate. Ac tandem ſi IESVS ſperatur venturus ad iudicandum viuos & mortuos, quis non contempletur eius lateri adfuturam eſſe Mariam?

*Did. lib. 1. con. 2. de Epiphan. Pſal. 34.* S. Ioſephum Magorum aduentui præſentem fuiſſe, ſentit etiam R. P. Didacus de Yanguas, explicans illud pſalmi: *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te.* In hac ergò ſacra Chriſti Epiphaniâ, & manifeſtatione, Eccleſia magna non alia fuit, quàm illa parua, quę fundari cæpit in Bethlehem: ſed verè magna,

gna, quia prima Eccleſia Chriſti fuit, & principium, & matrix omnium Eccleſiarum. Populus grauis fuit Maria Virgo, & ſanctus Ioſeph, eâ grauitate ſanctitatis, & integritate perfectionis, quod non erat ſimilis illis in vniuerſa terra. In his ergò grauibus cognouerunt paſtores, & Reges, puerum illũ paruulum, eſſe Dei filium in aſſumpta carne, & Regem cæli & terræ, quem quærebant, vt adorarent. Videntes enim grauitatem Virginis, puritatem, & ſanctitatem incredibilem, ſimulq; caſtitatem, & religionem ſanctiſſimi Ioſeph, in ipſo ſplendore vultuum, & ſuauiſſimo odore virtutum, & incomparabili modeſtiâ, & maieſtate eorum, qui comitabantur puerum IESVM, cognouerunt per fidem, & diuinam reuelationem, quod ille erat Deus, &

Rex, & Saluator, quem quære-
Luc. 2. bant. De paſtoribus dicitur. *Inuenerunt Mariã & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio; & videntes, cognouerunt, &c.* Profectò non ſolum videntes puerum, cognouerunt ipſum eſſe Deum, ſed etiam videntes ſingularem ſanctitatem Virginis, & maximam grauitatem ſponſi eius. In iſtis grauibus cognouerunt, Deum eſſe in illo paruulo. De Regibus ſi-
Matth. 2. militer dicitur in Euangelio: *Inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius: & procidentes adorauerunt eum.* Non ſolum in maieſtate diuini pueri, ſed etiam in ſplendore ſanctitatis puriſſimæ Matris, ac ſanctiſſimi ſponſi eius Ioſeph (qui abſque dubio tunc etiam præſens aderat) cognouerunt maieſtatem Dei in illo puero, & credentes, ac procidentes, adorauerunt, pretioſaque munera illi obtulerunt.

S. Bo-

S. Bonauentura contemplatur S. Ioſephum ex diuina diſpenſatione abfuiſſe, vt Magi nihil in hoc partu ſuſpicarentur carnale. Demum ſuperueniſſe, & Regibus obuiam decenti cum obſeruantiâ proceſſiſſe. Quæ hîc mirabilia, qui complexus, quæ colloquia fuerint inſtituta, facilius eſt cogitare, quàm verbis exprimere. Vero conſentaneum tamen eſt, Reges ei narraſſe tùm de ſtellâ, quam in Oriente viderant, cuius ductu Hieroſolymā vſque perueniſſent; tùm quæ ſibi illic cum Herode accidiſſent. Simul verò ſanctitatem, quæ in ipsâ Virgine emicabat, locique, in quo manebat vilitatem, vehementer ſuſpicientes, ad omne obſequiorum genus ſe promptiſſimos obtuliſſe. Sed veriſimile eſt omnes iſtas conſolationes breuiſſimo tempore perduraſſe,

*S. Bonau. lib. Med. Vit. Christi.*

ingruebat namq; citò nimis hora diſceſſus eorum, poſtquam nimirum admoniti ab Angelo, de verſutia & fraudibus Herodis, & de viâ, quam in reditu tenere deberent, conſolatione pleni regrederētur ad patriam. Porrò S. Ioſephum id reſponſi ab Angelo accepiſſe, & inde magis inſinuaſſe, videtur innuere P. Carthagena, dum ita ſcribit: *Re-uera Ioſeph Archangeli munus perfectiſsimè exercuit, cum tribus Regibus Magis, ne redirent ad Herodem, ſed per aliam viam iter ſuum facerent ex diuino, quod acceperat, oraculo, eis nunciauit, vt ſatis indicant verba Matthæi. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.*

Ioſephum Magos de viâ monuiſſe.

*Carthag. tom. 2. l. 4. hom. 9.*

*Matth. 2.*

*Ioſephus Mariam cum IESV infantulo, legis obſeruandæ gratiâ Ieroſolymam deducit.*

*CAP.*

## CAPVT IX.

QVadrageſimo à Virginis partu die, ante quem ab ingreſſu templi arcebatur puerpera, aſcendit Ioſephus cum Maria coniuge ſua, è Bethlehem Ieroſolymam, vt legem Purificationis implerent, oblaturi par turturum, aut duos pullos columbarum: tùm etiam & alteram, quâ præcipiebatur, vt omnis mas in lucẽ primus editus, Deo ſanctus exhiberetur. Quis hîc cogitare ſufficiat piiſſima colloquia, quæ ſacerrimi hi coniuges per illud iter difficultatis plenũ, & ſex circiter milliarium, miſcuerint? Nonnullus meritò eos nubes appellari contendit ex iis verbis Danielis: *Ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum.* Sacra enim Virgo Maria, & Ioſeph nubes

Ioſephus Mariam cum IESV Ieroſolymam deducit.

*Alfonſ. Gir. con. 4. de purif.*

*Dan. 7.*

bes cæli verè dicuntur. Nam ſi Apoſtoli ſancti, ſacriq; Doctores & Prophetæ nubes vocantur, qui terrena deſpicientes, velut nubes in alta conſcendunt, atque ad ea, quæ ſunt priora, (vt

*Philip. 3.* Paulus ait) extendunt ſeipſos, qui multitudine diuinæ ſcientiæ pleni, cæleſtium myſteriorum imbres continent: imò & de iuſtis omnibus, qui culparum gra-

*Ibid.* uedine expediti cõuerſationem in cælis habent, aptè intelligitur

*Eſai. 60.* admiratio illa; *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?*

Quantò potius Mariam, & Ioſeph cæli nubes appellabimus, quæ continuerunt & ſeruauerunt cęleſtem illorum rorem, atque pluuiam gratiæ, & veritatis: quam Euangelicus Propheta anxio deſiderio poſtulabat: *Rorate*

*Eſai. 45.* *cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Nubes Spiritus ſanctus eſt, qui

ſuper

ſuper Virginem deſcendit, illiuſ-
que vterum diuino ſpiramine ir-
rorauit, atque repleuit: ipſe nu-
bes eſt illa lucida, quæ transfigu- Matth. 17.
rato Domino in monte Thabor
diſcipulos obũbrauit. Nubes eſt
& alma Virgo, quæ de cęleſti ro-
re filium conceptum, velut deſi-
deratiſſimum imbrem nobis ef-
fudit, atq; hodierno die, vt vni-
uerſum orbem inciperet irriga-
re, in templum detulit. Nubes
vtique ſunt cęli Maria & Ioſeph,
per altiſſimam, cæleſtem & verè
angelicam conuerſationem, me-
ditationem, ac cæleſtia deſideria
ſublimes.

Igitur cum puerum IESVM in- Ingrediũtur templum.
ducerent in templum, vt face-
rent ſecundum conſuetudinem
legis pro eo, adfuit ilicò Simeon
diuino adductus ſpiritu: qui, vt
puerum, ac matrem vidit, & ag-
nouit, Deo mirabiliter indican-

te, acceſſit properè, & contemplatus eum, cum ſummâ voluptate è ſinu virginis ſuſcepit, & ſuis ipſe brachiis complexus, atque tam eximio beneficio exhilaratus, ſummas Deo gratias pro eo egit. Mirabantur autem mater pueri & Ioſeph, ſuper his, quę dicebantur de illo; quæ admiratio non quidem ex ignorantiâ vt in alijs accidere ſolet) ſed ex rerum maximarum amplitudine manabat. Ad quos Simeon conuerſus benedixit eis. Superuenit autem & Anna Propheteſſa, quæ viciſſim etiam collaudabat Dominum, & magnificè loquebantur de illo omnibus Ieroſolymitis, qui expectabant redemptionem Iſrael. Quâ ſuperueniente completa eſt ſolemnis Eccleſiæ proceſſio, quæ tunc celebrata eſt. Ambo igitur illi in-

terſu-

terſuêre, ambo, inquam ſenes & ætatis prouectæ, ambo ſanctitate pares, deuotione ſimiles, caſtitate æquales, pietate concordes, eodem affectu & deſiderio, eademq; ſpe deſideratum cunctis gentibus Saluatorem expectantes, & ante Euangelium, Euangelicę puritatis ac pietatis primitias dedicantes. His igitur ſenibus hodierna proceſſio completa eſt, quâ Virgo mater ad tẽplum Domini filium oblatura proceſſit. Contemplantur hîc pij viri, quo ordine proceſſerint? Anteiſſe nempe duos venerabiles ſenes, Simeonem & Ioſephũ, cum exultatione magnâ iubilãtes. Ponè ſequutam virginem Matrẽ puerum Regem Regum geſtantem gremio, quam Anna ex latere vadens aſſociârit. Quatuor igitur hodię inſignes perſo-

Quo ordine proceſſerint.

næ ſimul procedunt, quæ nobis omnia virtutum officia (vt Guerricus ait) ante oculos ponunt. In Annâ, quæ ieiunijs & obſecrationibus nocte ac die ſeruiebat, ieiunium commendatur, & oratio. In Simeone, qui tanto IESVM amplexus eſt gaudio, pietas & deuotio. In Maria, quæ cū nihil purificandum haberet, purificationis tamen legem impleuit, humilitas & obedientia. In Domino autem IESV; *qui factus ex muliere, factus eſt ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret*; charitas & miſericordia.

Omnes virtutes deſignantur his perſonis.

Galat. 4.

In Ioſepho autem magna dignitas, cui hîc ſicut & alibi ſæpius honorificentiſſima Patris Christi nomenclatura obtigit, vt nos omnes alliceremur ad honorandum beatiſſimum Ioſephum, ſub hoc celeberrimo titulo *Patris* Chriſti, qui adeò excelſus

Ioſephum Chriſti patrem vocari poſſe.

celſus eſt, vt quandam præ ſe ferat auctoritatem ſuper Chriſtũ, quo nihil ſublimius dici poteſt. Et quidē in primis *Chriſti Pater* aptè cõuenit vocitari, quia, vt docuit Auguſtinus, ipſe Chriſtũ Dominum in filium adoptauit, & paterna omnia officia, quæ patres exhibere ſolent, diligentiſſimè IESV præſtitit: verba D. Auguſtini hæc ſunt: *Nec enim propterea non erat appellandus Ioſeph pater Chriſti, quia illũ non genuerat; quandoquidem rectè pater illius eſſe potuit, quem non ex ſua coniuge procreatum, aliunde adoptaſſet*; cui ſanè adoptioni Chriſtus conſentiens, viſus eſt, planè in patrem ſuum legalem illum elegiſſe. Licet enim, vt obſeruauit D. Damaſcenus, Ioſephus naturâ pater IESV non extiterit, tamen, quia ex Chriſti electione in patrem ſuum ipſe eum aſſumpſit, iure quidem ho-

*Auguſt. l. 2 de conſenſu Euang. c. 1.*

*Damaſc. orat. 13.*

norificum adoptiui patris Iesv nomen ſibi vendicat, & velut patri, obedientia & honor illi debetur. Et quidem non parùm Ioſephum commendat, quod ille, cuius filij adoptiui ſunt Martyres, Confeſſores, Apoſtoli, & omnes Sancti, ipſe Ioſephi adoptiuus filius eſſe voluerit. Gerſon quoque ait: *Cur igitur non competat ipſi Ioſepho ius aliquod legale vltra cæteros homines in benedicta pueri IESV formatione, quoniam natum eſt in eâ: & ex eâ carne, cuius dominium jure matrimoniali verè tranſlatum erat in ipſum?*

*D. Bern. Serm. 3. ſuper Miſſus*

D. Bernardus vocat D. Ioſephum *Nutritium Chriſti*, nihil autem frequentius apud infantes, quam nutritium nutricis virum, patrem ſuum compellare; tanto autem magis nomen hoc *patris* ei conuenit, quanto exactius, ac diligentius nutritij munus ergà Ie-

SVM exercuit, ac ſedulam eius curam geſſit. Hinc diuus Chryſoſtomus eleganter dixit: *Nam quia ex Spiritu ſancto eſt, idcirco te à miniſterio tantæ æſtimes deſponſationis extraneum; nam, etſi nihil habeas in hoc generatione commune, tamē quod eſt proprium patris, quodq́ nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facilè concedo; quamquam enim non ſit filius tuus, tu tamen curam erga illum, & ſolicitudinem oſtendis parentis.* *Chryſ. ho. 4. in Matt.*

Iis itaq; ſuprà quæ retulimus, ita peractis, quinq; iuxta legem, oblatis ſiclis, ſuum Deipara Virgo redemit infantem. Ac, vt perfecerūt omnia ſecundum legem Domini, Ioſephus conſurgens accepit puerum, cum Matre eius, egreſſus eſt Ieroſolymâ. Dubium eſt autem quonam diſceſſerint. Nazaretham poſt purificationem eos conceſſiſſe, & ex ipſa ciuitate Angeli monitu in

Quinque ſiclis IESVS redimitur.

Quonam poſtea ſe contulerint.

in Ægyptum contuliſſe, ſententia eſt D. Anſelmi, Euthymij, Abulenſis, Chryſoſtomi, Theophylacti, & aliorum.

*S. Anſel. Matth. 2. Euthym. ibid. Abulenſ. ibid. Chryſ. ho. 9. in Matt. Theoph. in Matth. 2. Aug. lib. 2. de conſ. Euang. c. 5.*

D. Auguſtinus autem & alij nonnulli arbitrantur poſt purificationem Angelum Ioſephum de fugâ admonuiſſe, antequam Nazaretham rediret, admonitum verò Ioſephum, protinus infantem in Ægyptum tranſtuliſſe, ex Ægypto verò in Galilæam, & Nazarethā reuerſum eſſe.

*D. Ioſephus Angeli monitu puerum cum Matre ducit in Aegyptum.*

## *CAPVT X.*

Cauſa fugiendi in Ægyptū.

STupendum eſt conſilium Dei viuentis in probandis & purgandis electis ſuis per tribulationes & anguſtias. Vix hi ſancti coniuges cum puero reuerſi fuerant in Nazareth, nec dum duos menſes

menſes impleuerat ſanctus ille puer, famâ de eo paulatim latius ſerpente, quærebat eum Herodes vitâ ſpoliare.

Quo tanto facinori occurreret Deus, miſit Angelum ſuum (vt Origenes, Haymo, & Anſelmus ſentiunt) Gabrielem, qui puerum inſtanti periculo eruendum curaret: atque ita mox ille apparuit in ſomnis Ioſepho, dicens ei; *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi, dum dicam tibi, futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Ioſephus Angeli monitis incunctanter obediens, nocte ipsâ conſurgens, accipit puerum & matrem eius, fugit in Ægyptum: compendiariam, communemq; viam ſeligens, vt creditur, quò celerius rem exequeretur: ea erat recta in Gazã ab Ieroſolymis, quadraginta duobus millia-

*Orig. hom 3. in diuerſ. Hay. in c. 2. Matth. anſel. in 2. Matth.*

*Matth. 2.*

Quam viã Ioſephus tenuerit.

milliaribus diſtantem, qua itur in Ægyptum iuxta Bethlehemũ per Hebron. Vbi ſatis eſt veroſimile, Ioſephum Bethlehemum ingreſsũ, vt neceſſaria ad tam lõgam viã educeret: quod & confirmat id, quod traditione à maioribus acceptum, non incolæ ſolum, ſed & exteri, & Chriſtiani Latini, & Græci, & impij Saraceni, religioſè venerantur, & multi, quibus videre licuit, mandauêre libris: dum in parandis neceſſarijs Bethlehem Ioſephus moraretur, Deiparam in ſpelunca latuiſſe, inter meridiem & auſtrum, ad iactum lapidum duorum à Bethlehemo ſemotam: dumque Deo infanti mamillam porrigeret, lactis guttis in durũ ſpeluncæ lapidem effuſis ita emollitum, ac candidum effectũ, vt candidiſſimæ, ac tenuiſſimæ terræ in puluerem tenuiſſimum conuerſæ,

Traditio pia.

Spelunca vbi deliteſcens Maria IESVM lactauit.

conuerſæ, inſtar ſit; ex quâ lotâ panes paruuli conficiuntur, quibus ad morborum diuerſorum ſanitatem, præſertim lactis fæminarum contractionis, omnes vtantur, *lac Dominæ noſtræ*, propterea nominantur. *Vidi ego panes* (inquit P. Christophorus de Caſtro) *quos mihi oſtendit pater quidam ex noſtris, qui terram illam perluſtrauit, ac in eam ſpeluncam religionis gratià cum multis alÿs ingreſſus eſt.*

*P. Chriſt. de Caſt. hiſt. Deip. cap.10.*

15 In Hebron porrò cum fugam ſuam, ac fugæ cauſſam, vt par eſt credere, Zachariæ & Eliſabethæ declaraſſent: vtque puerum Ioannem periculo eriperent admonuiſſent, neceſſariis ad iter faciẽdum deſumptis, Gazam peruenerunt. Eà eſt *ciuitas Aeuæorum* (teſte D. Hieronymo) *in qua habitauêre Cappadoces, priſtinis cultoribus interfectis. Apud veteres autem erat terminus Chananæorum, iuxta Aegy-*

In Hebron etiam vt Ioannes periculo ſubduceretur, parentes eius monent.

*Aegyptum: ceciditq́; in ſortem tribus Iudæ, ſed eam tenere non potuit, quia Enakim, id eſt, gigantes fortiſsimi Allophilorum reſtiterunt; & eſt vſque hodie inſignis ciuitas Paleſtinæ.* Inde iter duodecim, aut quatuordecim dierum (ſeptuaginta leucarum ſupputatur) maxima ex parte per ſolitudinem: non ſine magno labore, atque ſolicitudine verſus Babylonem (Cairum vulgò dictam) confecerunt. Hinc ad quatuor leucas Oriẽtem verſus, in Thebaidem peruenientes, dum vrbem Hermopolim ingrederentur, res mira accidit: totius eius gentis traditione probata. Arbor erat procera quidẽ, ac vetuſta, quæ dæmonum fraude, quaſi numinis domicilium religioſius quàm par erat, colebatur, Perſeis dicebatur. Hæc ergò in fugam verſo dæmone ad ſolum vſque; dominum ſuum

Stupendũ miraculũ.

adoratura

adoratura ſe ſponte demiſit: atque ita ad miraculi comprobationem inclinata permanſit, multis morbis, dum ægris applicaretur afferens ſanitatem. Memorant id Sozomenus, Caſſiodorus Senator, Chriſtianus Druthmarus, Georgi⁹ Cedrenus, Nicephorus. Quin & in eiusdem templo, Chriſto ſimiliter vrbem ingrediente, ſimulacra cecidiſſe, vt & in alijs quibusdã locis, iuxta Iſaiæ prophetiam: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius*; à maioribus accepimus. Quod ita tradunt Euagrius, Palladius, Origenes, Euſebius, Athanaſius, Hieronymus, Procopius Gazeus, Anſelmus, cum paulò ante memoratis ſcriptoribus. Eiuſq;

*Sozom. l. 5. hiſt. Eccle. cap. 20.*
*Caſſiod. l. 6 hiſt. Tripart. cap. 42.*
*Druth. in 2. Matth.*
*Niceph. l. 10 hiſt. Eccleſ. c. 31.*
*Iſai. 19.*
*Euag. Vit. PP.*
*Pal. hiſt. Lauſ. c. 52.*
*Orig. ho. 3. in diuerſ.*
*Euſ. l. 6. de demonſtr.*
*Euang. c. 20. Athan. l. 1. de Incarn. Verbi. Hier. Iſai. 19. Procop. ibid. Anſel. 2. Matth.*

Eiuſque rei celebre ab Ægy-
ptijs ſacerdotibus obſeruabatur
vaticinium, ab Ieremia traditũ,
tùm cùm in Ægypto degeret, fo-
re aliquando, vt ſimulacra eorũ
concuterentur, ac corruerent,
cum aſcenderet in Ægyptum
puer à Virgine natus, atque in
præſepio depoſitus. Vnde con-
ſuetudo fuit Ægyptiis, Virginem
in lecto cum infante poſitam
adorare. Quod eo modo, quo
Ieremias prædixerat, euenit. Hęc
memoriæ conſecrarant, Doro-
theus Epiſcopus Tyri in Syno-
pſi, in vita Ieremiæ, & Epipha-
nius lib. de vita, & interitu Pro-
phetarum. Inde redeuntes, vt
locum tutum eligerent ad de-
gendum, in quodam vico inter
Heliopolim, ac Babylonem, tri-
bus leucis à Babylone remotum,
ab Heliopoli quatuor, conſede-
runt. Maturea nunc locus dici-
tur,

Virginem adorabant Ægyptij parturientem.

*Doroth.*
*Epiphan.*

tur non ſolũ incolis etiam num, ſed exteris eam ob rem venerationi non modicæ habitus. Puteus ibi viſitur, cuius aquâ ad obſequia Domini vſam Deiparam fertur, quâ dum rigaretur balſami hortus, vegetus, ac frugifer perdurabat. Ea nunc à peregrinis bibitur non inſalubriter.

Locus vbi cõmoratus eſt Ioſephus in Ægypto.

*Brocard. in Aegypti deſcript.*

*Multa quidem & probabilia*, inquit P. Chriſtophorus de Caſtro, *feruntur ab his, qui loca illa viderunt, quæ refert Ianſenius in ſua concordia, & mihi retulit frater vnus è noſtris, cui cum alijs captiuis licuit illò ire, locumq́ dixit vocari Matuream, atq́ adhuc manere ficum vetuſtam, cuius truncus per medium diſciſſus venerationi habetur, perq́ eum tranſmittere corpus ſalubre habetur, celebre enim eſt pueri IESV veſtes, ſeu laneas, ſeu lineas, ſuasq́ virginem in eâ ficu ſolitã exſiccare, poſtquam in illius putei fontiſue aquis lauiſſet.* Hac ratione in

*Caſtr. ano not. ad c. 10. hiſt. Deip.*

*Ianſ. concord. c. 11.*

Ægypto permanſerũt Ioſephus cum Mariâ, & Chriſto infante, vſque ad obitum Herodis, terrã illam ad futuram Chriſti eiusdẽ Philoſophiam ſanctificantes, ac parantes.

In hac fugâ credibile eſt multa Virgini, multa Ioſepho, multa vnigenę Dei filio dictu grauia, perpeſſu aſpera contigiſſe, ſed quia nihil certi probatæ tradunt hiſtoriæ, piorum cogitationi, commentationiq́; relinquimus.

*D. Ioſephus Virginem matrem cum puero IESV Nazaretham reducit.*

## CAPVT XI.

Herodis im̃anitas.

INtereà dum Ioſephus cum Deipara & Chriſto adhuc infantulo in Ægypto commorarẽtur, Herodes qui nuper ex Magorũ verbis, non modicum timorem conce-

conceperat, in maiorem nunc ſurorem actus, ſummam adhibet diligentiam, vt puer ad ſe perferatur, vel viuus, vel trucidatus. Cumq; omni adhibitâ diligentiâ, nec inueniri viam, nec ſciri modum, quo puer detegi poſſet videret, quod iam ex imminenti periculo diuinitus fuiſſet ereptus, immane aliud machinatus ſcelus, furijsque exagitatus incunctanter executioni mandat. Nam tempus diligenter prænotatum, quo à Magis viſam ſtellam cognouerat, ſecutus: ac illius tum principum altius repetens, tum finem longius producens, ne quâ fortè ratione Chriſtus natus elaberetur, iubet ſatellitibus ſuis, & carnificibus, vt vniuerſos pueros bimos, & inferioris ætatis Bethlehemi concluſos, occiderēt; tum ſimiliter eos omnes, qui in fini-

*P. Chriſt. de Caſtr. hiſt. Deip. cap. 11.*

timâ regione reperirentur. Nec tam execrandum facinus contra Chriſtum, & coëuos illi infantes perpetratum, inultum iuſtus Deus abire paſſus eſt, quin huiuſmodi tam miſerando morbo, impietatis pænas exigeret ab impio rege. Ad extremum vitæ properantem Herodem, acerbior in dies excruciabat morbus: lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehendebatur, quam intus depopulabatur viſcera: aderat & vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet cibos ſuggerere continuò: ſimul vexabatur, & colicis paſſionibus, inteſtinorum exulceratione: pedes tumebant humido, pellucidoque phlegmate, ſimiliterque inguina, ipſa quoq; verenda putrefacta ſcatebant vermiculis, accedente fœdâ, nec minus moleſtâ lentigine, non ſine

Herodis morbus & interitus.

ſine fœtore grauiſſimo: ſuper hæc omnia neruorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus: ita corpus eius vniuerſum morbo correptum, variis perturbationum & moleſtiarum tormentis diſtrahebatur. Præ tantorum vi dolorum, vitã cum morte peſſimâ commutauit trigeſimo ſeptimo regni ſui anno Hiericunte, prope feſtum paſchale. Succeſſit Archelaus crudelis & ſcelerati patris non diſſimilis filius. Interim Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſepho in Ægypto, dicens ei: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & redi in terram Iſraël.* Defuncti ſunt enim, qui puero vitam eripere nitebantur. Cum itaque angelus monuit Ioſephũ, vt rediret in terram Iſraël, vniuerſam regionem Palæſtinæ intellexit, & ob id Ioſephus vole-

*Ioſ. lib. 17. Antiq. c. 10. & lib. 1. de bel. Iud. c. 21. Egeſip lib. de exc. Ierem. c. 45 Euſeb. in Chron. Epiph. hær. 20. Seu. Sulp. lib. 1. ſac. hiſt.*

*Matth. 2*

Ioſephus in Palæſtinã regredi iubetur.

bat habitare in Iudæâ, in ciuita-
te Bethlehem, vbi & Chriſtus
natus erat, vti quibusdam vide-
ri video; attamen D. Auguſti-
nus, quem ſequuntur Rabanus
& Zacharias Chryſopolitanus
*Aug. de conſ. Euang. lib. 2. cap. 9.* dicit, *videri potuiſſe parentibus Chri-
ſti cum puero, de quo talia per angelica
reſponſa didicerant, non eſſe habitan-
dum, niſi in Ieruſalem, vbi erat tem-
plum Domini: poſtea verò ob timorē
Archelai mutaſſe voluntatem, quia
non iubebantur diutius ibi habitare*:
quibus verbis concedit, voluiſ-
ſe in Iudæa habitare, & in vrbe
*Zachar. Chryſ. lib. 1. in Vn. ex quat. c. 11.* Ieruſalem. Zacharias Chryſo-
politanus ita ſcribit. *Audiens ab
Angelo Ioſeph, vade in terram Iſraēl,
intellexit Iudæam vocari terram Iſra-
el, præſertim cum videretur ei talem
puerum, non alibi debere habitare, niſi
in Ieruſalem, vbi erat templum & ce-
lebratio Prophetarum. Porrò autem,
poſtquam comperit illic regnare Ar-
chla-*

*chelaum, noluit obijcere ſe illi periculo, cum poſſet terra Iſrael etiam ſic intelligi, vt & Galilæa illic deputaretur, quia & ipſam populus Iſrael incolebat.*

Ægyptiæ commorationis tempus alius aliter definit ſcriptor. Biennio quidam, nonnulli triennio, bona pars ſeptennio hoc Chriſti IESV vel exilium, vel perfugium terminârunt. Nono vitæ anno ex Ægypto redijſſe contendit illuſtriſſimus Cardinalis Cæſar Baronius, Eccleſiaſticorum ingenioſus, laborioſus, & curioſus ſcriptor Annalium. Mihi non libet inter has diiudicare ſententias, quæ ad Ioſephinam hiſtoriam non magnoperè pertinent. Illud eſt certò tenendum Ioſephi tutoris & nutritij ſedulitatem, & beatiſſimæ Virginis charitatem Chriſto in illo longo an breui exilio pro patria Quamdiu commorati ſint in Ægypto.

 fuiſſe.

fuiſſe. Quippe qui nulla in re paterno aut materno officio defuerint, omnia filio præſtiterint ſolatia, obſequia & oblectamenta quæ potuerunt. In Ægypto matrem & filium alienâ miſericordiâ vixiſſe nonnunquam, & eleemoſynas corrogaſſe, non eſſe duco improbabile, at Nazarethâ vrbe repetitâ cum mendico filio mendicam fuiſſe Virginem hæreticorum puto eſſe mẽdacium, quorum multi in eo toti occupantur, vt ſanctiſſimam Dei matrem dedecorent, & eius quam altiſſimam eleuent dignitatem. Formam enim & quaſi faciem honeſti non vident, quã tamen pij Chriſticolæ mente & animo conceperunt. Principio Ioſephus faber erat, ſuoque fabrificio alumnũ & ſponſam, vt poterat, ſuſtentabat. Quin etiam Virgini ſua res erat familia-

*Ioan. Bon. hiſt. Virg. lib. 1. c. 14.*

ris,

ris, quam à parentibus hæres accepit. Itaque Nicephorus Mariam & Ioſephum relictâ Bethlehemo, vbi natus eſt Chriſtus, idcircò Nazareth rediiſſe affirmat, quod bona quæ ibi erant, vtenda putabant (*vtrobiq; ergò,* inquit ille, *habitarunt, quod vtroque in loco prouentum haberent*) De hoc ipſo copioſè diſputat Euſebius Emiſſenus. Quare inopes fuiſſe credamus, licet non tamen vſque adeò egentes, vt aliorum ianuas obire cogerentur. Neque verò decens fuit, vt caſtiſſima illa, beatiſſimaque matrona limen aliorum terere, fores pulſare, & in viros virgo prudentiſſima, ſecretiq; amantiſſima toties cogeretur incurrere. Nam & Chriſtus ipſe, quod benè perpendit Hieronymus, re ſacer & nomine, vſque ad trigeſimum vitæ annum ſuorum fuit parentum paupertate

*Nic. hiſt. Eccl. l. 1. c. 3*

*Euſ. Emiſſ. hom. in Natiu. Mar.*

tate

tate contentus, mendicitate in Euangelij dilatâ tempus. Quanquam & in Ægypto, vt dictum eſt, & in illâ, de quâ ſequenti capite dicemus abſentiâ, ſtipem oſtiatim à Chriſto eſſe collectam, quibusdam ſanctis Patribus videtur eſſe credibile. Quare perſuadeamus nobis Chriſti atque Deiparę tenuitatem & inopiam, ante Euangelij prædicationem, quæ trigeſimo anno inchoata eſt, eatenus eſſe progreſſam, quoad maternæ dignitatis ratio pateretur. Etſi nihil erat Virgini durum, quæ filij chariſſimi, atq; dulciſſimi os, & faciem quotidie aſpiceret, & vocem audiret.

Ioſephus Ægypto digreditur.

Ioſephus verò, vt præmiſſum eſt, ab Angelo iam admonitus, conſurgens confeſtim, vt ei fuerat imperatum, accepit puerum, iam in Ægypto ſeptimum agentem annum, ætatis autem ſuæ

octauum,

octauum, vnà cum matre eius, & profectus eſt in terram Iſraël. Ad quam dum propius accedit, audit, Archelaum pro Herode patre ſuo regnare in Iudæâ, in qua decreuerat habitare, & timuit eò ire, & in ſomnis admonitus, ſeceſſit in Galilæam; vbi elegit ad habitandum ciuitatem Nazaretham, vt quod erat à Prophetis de puero IESV prænunciatum, nempe vocandum eſſe Nazarenum, adimpleretur. Porrò relatio pueri IESV ex Ægypto in Martyrologijs Bedæ, Adonis, Vſuardi & Romano 7. die Ianuarij annotatur. Ob hæc officia iam prædicta, à D. Ioſepho infantulo noſtro præſtita, contemplatiui quidam non inſulsè affirmant, eundem in Chriſti cuſtodem fuiſſe diuinitus ordinatum. Nam ſicut ad cuſtodiam noſtrã Deus ſpiritus Angelicos deſtinauit,

uit, ſic S. Ioſephus loco Angeli
cuſtodis Chriſto extitit, quorũ
nullus ei fuit aſſignatus, quia ip-
ſe potius erat cuſtos Angelorum,
eos, qui non ceciderunt à caſu
præſeruans. De Angelis ait Da-
*Pſal. 90.* uid; *Angelis ſuis Deus mandauit de
te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tu-
is*. Sic S. Ioſephus in viâ ad Ægy-
ptum, & in viâ ex Ægypto ad
propriam patriam Chriſtum in-
fantem cuſtodiuit, & velut alter
Raphaël Tobiam iuniorem in-
columem ad propriam domum
reduxit, immò, & ab immatura
morte, quam Herodiana tyran-
nis ei inferre moliebatur, dili-
genter eripuit. Et ſi de eiſdem
*Ibid.* Angelis ait idem Regius Vates:
*In manibus portabunt te; ne fortè of-
fendas ad lapidem pedem tuum*; Quis
quæſo, in dubium reuocabit,
hunc ſacrum cuſtodem, tanquã
Chriſti nutritium, per fragoſa il-
la

la Ægypti itinera, manibus & brachijs illum amplexantem, tanquam diuinum Atlátem non ſemel eum portaſſe, *Qui tribus digitis appendit omnem molem terræ?* *Iſa 40.* Ex quo liquet, ipſum etiam angelicos cuſtodes longè præcelluiſſe.

*Reliquus vitæ D. Ioſephi curſus, & pueri Ieſu in templo inuentio.*

CAPVT XII.

NAzaretham Ioſephus cum Virgine ſacratiſſima, IESVq; puerulo, vt præcedente capite vidimus reuerſus, eoſdem domi ſuæ aluit, vt ex D. Hieronymo colligi poſſe videtur, & nos primo capite tradidimus, illum potius Nazarenum, quàm Bethlehemitam videri: quod autẽ quidam prodiderunt, illum Bethle-

Ioſephus Chriſtum in ſua domo aluit.

hemi

hemi domum propriam habuiſſe, friuolum eſſe, vel illa D. Lucæ verba ſatis euincunt, vbi dicit, *non erat illis locus in diuerſorio.*
Luc. 2. Cur non ad propriam domum diuertit, ſi talem habuit? aut ſi iam vendiderat, cur non apud amicorum quempiam hoſpitium ſumpſit? cur ad ſpeluncam diuertere coactus eſt? Certè tam ignotus eſſe non potuit, præſertim tam paruulo temporis ſpatio, ex quo Mariam acceperat, intercedente. *Eſt Nazareth vbi Christus egit*, inquit D. Hieronymus, *viculus in Galilæa, iuxta montem Tabor, vnde & Dominus noſter Ieſus Christus Nazarenus vocatus eſt; habetq́ Eccleſiam in loco, quo Angelus ad beatam Mariam euangelizaturus intrauit; ſed & aliam, vbi Dominus eſt nutritus;* de iiſdem duabus domibus & Beda meminit, cum agit de locis ſanctis. Porrò domus

*Hieron. de loc. Hebr.*

*Bed de loc. ſanct. c. 16.*

mus illa, in qua de Verbi Incarnatione ſanctiſſima Virgo cæleſte accepit nuncium, adhuc magno miraculo non tantum integra perſeuerat, ſed Angelorum miniſterio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam translata eſt in agrum Lauretanum Piceni prouinciæ: quod perinſigne ac nobiliſſimum vetuſtatis monumentum totus Chriſtianus Catholicus orbis veneratur ac colit. Nec eſt quod quis de re geſta dubitet, qui memoriâ repetat illìc dictum eſſe ab Angelo: *non eſſe impoßibile apud Deum omne verbum.* inquit Card. Baronius. In alterâ autem, de qua D. Hieronymus, paulò antè citatus, Redemptor noſter viginti annis demoratus eſt, ab anno videlicet octauo, vſque ad annum ætatis ſuæ trigeſimũ. Ibi Ioſephus no-

**Domus Lauretana.**

*Luc. 1.*

*Baron. Annal. to. 1. A.C. 9.*

 ſter

ſter multiplicem, imò continu-
am occaſionem habuit perfe-
ctiſſimè exercendi actiuæ & cō-
templatiuæ vitæ munera. Et qui-
dem, quod attinet ad vitam acti-
uam, ille Chriſtum infantem ita
protexit, & enutriuit, vt quod
de Deo dicitur iuſtum protegē-
te: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis:* meritò de
Ioſepho dici poſſit reſpectu Dei,
quem ipſe ſcapulis ſuis infantem
obumbrauit, & ſub pennis ſuæ
protectionis beneuolè ſuſcepit.
Deinde, cùm omnes Ioſephus
externas operationes, ac labores
fabrilis artis ac Chriſti Domini
infantiam, pueritiam, & iuuen-
tutem per triginta annos nutri-
endam, ac ſuſtentendam dirige-
ret, non potuerunt non gratiſſi-
ma eſſe Chriſto Domino opera
vitæ actiuæ, quæ immediatè cir-
ca eius humanitatem noſter Io-
ſephus

Ioſephus perfectiſſimè exercuit actiuā & contemplatiuā vitam.

*Pſal.* 91.

ſephus exercuit. Ex his externis operibus, facilè erit, gradum facere ad interna vitæ contemplatiuæ opera, ad quæ ex viſibili Chriſti & Mariȩ exemplo, & cõtinuâ triginta annorum præſentiâ ardentiſſimè accendebatur, & ad feruentiſſimos amoris actus eliciendos, potentique eorundem auxilio frequentiſſimè iuuabatur. Quo tamen emolumento tum caruit, cum diuino conſilio duodecimo ȩtatis anno ſeſe puer Ieſus parumper abſcõdit, ac parentibus domũ reuertentibus Hieroſolymæ conſultò remanſit. Nam cum in templum ſuæ matris Ioſephique nutricij comes, ad Paſchales ferias ſtatas, & anniuerſarias celebrandas aduenisset, iisque peractis ſanctiſſimi coniuges ædes repeterent, ſanctus puer matre, Ioſephoque neſcientibus ac vel pone ſequi,

*Ioa. Boniſ. hiſt. Virg. l.1.c.14.*

Puer Ieſus ſubducit ſe parentibus.

vel antecedere arbitrãtibus, populari turbâ certũ illius rei tum aſpectum, tum iudicium impediente ingens ſui deſideriũ vtrique ſponſo reliquit, parq; illud ſanctitatis & amoris in maximo mœrore fuit, dum triduo inter cognatos & notos inueniri non potuit. At vbi in templo ſedentem, & cum doctiſſimis quibuſque colloquentem multaq; acutè percontantem Maria & Ioſephus omnia luſtrantes repererunt, magnoperè admirati ſunt, quod præter ſuam expectationẽ, & puerorum conſuetudinẽ ſeſe parentibus ſubduxiſſet, ac ſciens & prudens acerrimi doloris cauſam ſe amantibus attuliſſet. Erat hic mos Iudæis, cum vel in templo vel in Synagogis, ad diſſerendum de lege conuenirent, vt ſedentes diſputarent, & ſeniores quidem dignitate in

Inuenerũt in templo.

*P. Chriſt. de Caſtr. hiſt. deip. cap. 13.*

cathe-

cathedris, quæ ordine erant diſpoſitæ: cæteri minoris ordinis in ſubſellijs nouiſſimi omnium in pauimentis ſuper mattas: quibus dabatur dicendi locus, eum quippiam illis fuiſſet reuelatum. Omnia tamen maiores diiudicabant. Ad hunc ergò congreſſum admiſſus puer, tam diſertè ad ea, quæ interrogabantur reſpondebat; vt omnes quotquot aderãt, & prudentiam pueri, & reſponſa eius ſtuperẽt, & in exiguo corpore tantam eruditionem mirarentur. Diſſoluto congreſſu, acceſſit pia mater ad eum, & amicè conqueſta, tum mœſta, admirabundaq; ſimplici, & ſincerâ interrogatione hac affata eſt: *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Nam chariſſimi filij amiſſione non dolere non poterant, qui ibi cor animumq; defixerant, vbi the- *Luc. 2.*

ſaurum condidiſſent. Sed qui af-
*Ioa. Bonif. hiſt. Virg. l. 1. c. 14.*
fectus in poteſtate habuêre, vt gaudia illa, quibus toties exultauerant, ratione moderati ſint, ſic etiam hunc grauiſſimũ mœrorem ita compreſſerunt, ſuis vt ſe finibus, cancellisque tenuerit. Itaque non ſolum teſtimonio ſanctorum Patrum, ſed etiam confeſſione aduerſariorum, caſum hunc virgo Deipara, & Ioſephus ſapientiſſimè tulerunt, & mœſtiſſimè deplorauerunt. Horum etiam iudicium eſt, nullâ parentum culpâ filium abfuiſſe.

Ioſephi & Mariæ patientia in amiſſione filij.

Cauſſam quare Chriſtus ſe matri ſubduxerit, ac Ioſephum quoq; latuerit, ſanctus explanat Ambroſius, voluiſſe mundi conſeruatorem, duodecimo ætatis anno, ſuæ cum doctoribus diſputationis futuræ, cum mundo certaminis initium auſpicari, ſuæque ſapientiæ ſpecimen dare,

*Ambr. in c. 2. Lucæ.*

Cauſſa cur Chriſtus ſe ſubduxerit.

& eximij illius ſplendoris, quem diuturni ſilentij quaſi nube contexerat, radium aliquem iaculari. Scilicet vt ab ea ætate, quæ perfecto vti iam incipit rationis, mentiſq; iudicio ſeſe paratum oſtenderet ad patris iuſſa complenda. Iudæorum quoq; animi, vt eidem videtur Ambroſio, præparandi fuerunt, vt ne vocẽ aſpernarentur Phariſæi, quam nunquã aliàs audiuiſſent. Nam ſi doctor repentè prodiret, qui & faber, & fabri filius habebatur, ſermonem inimicis daret ad obtrectandum oblatrandumq; propenſis. Ergò huius diei progymnaſmata ad viriles Chriſti conciones viam muniuerunt, neque erat aduerſariis iuſta criminandi cauſſa, quos recordari oportuit oratorem illum eundẽ eſſe, quem in adoleſcentia quaſi declamatorem audiuiſſent. Et

hoc quidem Chriſti illa reſpon-
*Luc. 2.* ſio ſignificat: *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Quæ
verba aſpera, inſulſaq; non fu-
iſſe Mariæ palato oſtendit, cui
vox illa dulciſſima fuit, eamque
ſubinde reguſtabat, atque inti-
mis ſenſibus mentique penitus
mandabat. Declarauit & ipſe
Dei filius, qui ſe illicò ſuæ Matri
reddidit, atque reſtituit, eique
triginta annos obediuit. Mor-
tuoque Ioſepho, quem credibi-
le eſt ante Chriſti prædicationis
initium obiiſſe, fabrilem artem,
vt matrem aleret, Chriſtus fa-
ctitauit. Quod verò intulit Eu-
*Ibidem.* angeliſta: *& ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos*; ad-
uerſarij deprauant, & ad Virgi-
nis conuitia, contumeliaſq; de-
torquent, cui ignorantiæ notam
inurunt. Alij contra hunc Eu-
angelij

Ioſephi & Mariæ qualis fuerit ignorantia.

angelij locum cum quadam ſynecdoche accipi volunt, & quod diuus Lucas de vtroque parente commemorat, ad vnum Ioſephum referendum putant, qui rudior eſſet, neque tantos, quantos Maria feciſſet in fide & in rerum diuinarum intelligētiâ proceſſus. Qui ita Virginem tuentur, in latebram ſe ſine cauſsâ coniiciunt. Nam vt ſenſum verborum proprium ac ſimplicem retineamus, & Lucam de Maria & Ioſepho loquutum fateamur, tamen ſuus honor beatiſſimæ Virgini ſaluus atque integer relinquetur. Notum Deiparæ erat atque perſpectum ſui filij cęleſte genus, nota diuinitas, minimè ignorabatur Seruatoris mors pro communi omnium ſalute. Neſciebat tamen Virgo ſanctiſſima quomodo tantum munus vellet Chriſtus inſiſtere. Certū

ne eſſet Dei filio Hieroſolymæ viuere, an in patriam redire, verſari cum Legis doctoribus, & illud iuuentutis quaſi gymnaſium frequentare, an parentibus præſtò eſſe: prædicationem iam tùm exordiri, an ſilentium repetere conſuetum, & felicem ſuæ doctrinæ nuncium in aliud differre tempus, nondùm beata Virgo compererat. Nec dubium quin vtrique coniugi obſcurum fuerit, quemadmodum in reliquâ poſt vitâ ſe vnigenitus Dei filius gereret, quoſué progreſſus in obeundo Meſſiæ munere facere inſtituiſſet, vt vel ex hoc ipſo ad ſingulas Chriſti actiones ſuaui admiratione defixi tenerentur. Audierat Virgo Chriſtum de patre loquentem, neq; tamen continuò diuinauit quod negotium paternum ſignificaret, ſiquidem multa latebant in illâ immenſitate

tate

tate ſermonis. Quare non magnoperè videtur eſſe mirandum, vt Ioſephus & Maria nondum caperent, quæ tum agerentur ac reſponderentur, in tantâ præſertim amiſſi chariſſimi filij ſollicitudine, reperti voluptatę. Siquidem noui ſpectaculi admiratione detenti, minus præſenti, paratoque animo erant ad Chriſti & mentem & orationem perfectè cognoſcendam. Non intellexerunt tam paucis verbis tam multa & magna contineri. Neq; erat facilè coniectare illis verbis abſentes potius parentes, qui in filiorum educatione diſſoluti eſſe ſolent, quam præſentes innocentes illos & probos notari, & perſtringi. Si Origeni credimus, non intellexerunt parentes vtrū Chriſtus his verbis de templo externo, an interiori loqueretur. Mitto quę Theophylactus, quęque

*Orig hom. 20. in Luc.*

*Theoph. in c.2. Lucæ.*

que alij de hac ipsâ Mariæ Virgi-nis ignoratione diſcutiunt. Dionyſius quidem Richelius minimè dubitat, quin verba illa: *In his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe*; ad æterni patris obſequium referēda forè Maria putauerit: ſed tēpus tamen ac locum neſciuiſſe & vitæ curſum, atque itineris diuortia non noſſe. Filium quæſiuit illa quidem, non quod erraſſe, aut exceptum inſidijs periiſſe arbitraretur, ſed abſentiæ icta dolore vim profudit lachrymarum. Nam quem ames, eius ne ad punctum quidem temporis conſpectu & præſentiâ æquo animo careas. Origenes arbitratur veritam eſſe virginem ne ad cælos aſcendiſſet ſuo tempore reuerſurus ad Redemptionis opus abſoluendum. Idem Dionyſyus Lucæ verba perpendens, quibus Mariam eorum, quæ audiret

*Dio. Carth l. 2. de præcon. & dig. Virg. c. 13.*

Cur Maria IESVM quęſierit cum Ioſepho.

*Orig. ibid.*

*Dion. ibid. c. 26.*

dixet, conſeruatricem appella-
uit, in hunc modum ratiocinari
nos docet: Si ſacra virgo alios de
Chriſto loquentes tam diligen-
ter attendit, ſi eorum verba me-
moriæ theſauro cuſtodiuit, ſi
animo quę dicerentur impreſſit,
ac ſecum ipſa reputauit, quanto
ſtudioſius, atque cupidius filium
ſuum vel domi de diuinis rebus,
& Chriſtianis ſacris, quorum ip-
ſe inuentor, auctorque eſſet, diſ-
ſerentem, vel foris & propalam
concionantem audiret? quantò
audita celerius arriperet, perce-
ptaque & cognita quantò ſæpi-
us mente reuolueret, reguſtaret-
que ſuauius? Quæ paſtoribus,
quæ Simeoni, quę Annæ tam be-
neuola, docilis, attentaque fuit,
qualem ſe tandem docenti filio
præſtitiſſet? Nam Chriſti con-
cionum, vbicunque illæ habe-
rentur, comitē & ſociam fuiſſe
Deipa-

*Epiph. hær. 78.* *Aug. ſer. de Aſſum.* *Brig. Reu. l. 6. c. 58.* Chriſtus Mariæ & Ioſepho multa arcana reuelauit.

Deiparam Epiphanius, Auguſtinus, & præterea multi teſtantur. S. Brigittæ oſtenſum eſſe à Deo legimus Chriſtum adhuc puerũ in priuatis ac domeſticis cum veriſſimâ parente, & opinato patre Ioſepho colloquiis multa arcana detexiſſe, multa penitus abdita & retruſa amanter aperuiſſe, tantamque Chriſti ſermonis fuiſſe dulcedinem, vt ſingularé ex eo voluptatem vterque perciperet, & diuini amoris illa oratio flammam ingentem excitaret.

Ioſephus cum Maria & puero IESV Nazareth regreditur.

Exinde Ioſepho & Maria Hieroſolymâ digredientibus, puer IESV, deſcendit cum illis Nazaretham: vbi vtrique parenti obſequentiſſimus, nutritio etiam ſuo in fabrili exercitatione, quâ victum ſibi quærebant, inſeruiebat, tantâ fuit in Ioſephum, quoad is vixit, obſeruantiâ. Nam

illé

ille puero IESV legem ſtatuit, quando domi conſiſteret, quando ab eâ egreſſurus eſſet; &, vt alter Ioſue (qui curſum Solis verbo cohibuit, *obediente Deo voci hominis*) ei dicebat; ne mouearis, nunc pedem fige, nunc propera: & ille patris ſui Ioſephi obſeruantiſſimus, promptiſſimè ei obediebat, & veſtigia eius ſequebatur, cum alioquin eſſet ille, de quo Ioannes dicit: *& ſequuntur Agnum, quocumque ierit.* Rectè ergò, & eleganter dixit inſignis ille Cancellarius Pariſienſis: *Hæc ſubiectio ſicut inæſtimabilem notat humilitatem in Chriſto, ita dignitatem incõparabilem ſignat in Ioſepho: quid enim ſublimius, quàm quod ei, qui in fæmore ſcriptum habet: Rex Regum, & Dominus Dominantium; ei, cuius nomen eſt: Deus fortis, Pater futuri ſeculi: ei, qui Dominus exercituum vocatur; ac tandem ei, qui dicit: Mihi curuabitur*

*Ioſ. 10.*

Ieſu obedientia erga Ioſephum.

*Apoc. 1.*

*Gerſ. ſerm. de natiu. Virg.*

*Apoc. 19.*

*Iſa. 9.*

*Iſa. 1.*

*Iſa. 45.*

*omne genu*, Ioſeph vnus patris au-
ctoritate imperet; & ille filiali
ſubiectione ei ſubſit, & obediat,
Matth. 6 ac dicat: *Pater, fiat voluntas tua*:
quod nos æterno Patri orantes
dicere ipſe docuit in oratione
Dominicâ.

*D. Ioſephus fabrilem artem, ſubueniente ſibi Chriſto, exercet.*

## CAPVT XIII.

IOSEPHVM fabrilem artem,
eandemq; lignariam, non fer-
rariam exercuiſſe, ſuprâ pluribus
Cap. II. demonſtrauimus. Quam autem
vitæ rationem Chriſtus Domi-
nus cum parentibus inſtituerit,
vſque ad trigeſimum ætatis an-
num, Euangeliſtæ ſilentio præ-
terierunt, quaſi in cælo percipi-
endam, vbi ſummâ cum volu-

ptate, omnia Chriſti geſta, & dicta intelligemus. Quę nũc in terris ignorantus, reliquerunt. Nihil ergò certi habemus, præter nonnulla valdè generalia capita, quæ ex ſcripturis colliguntur, & à nobis in particulari explicanda erunt. *Petr. Mor. lib. 5. tract. 9.*

Et inprimis certum eſt, hoc tempore, vt plurimum Chriſtũ cum parentibus ſuis habitâſſe in Nazareth, iuxta noſtrum Lucæ Euangelium, *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth*; Certum eſt etiam Chriſtum Dominum toto hoc tempore pauperem vitam duxiſſe, quia parentes eius pauperes fuerunt. Certum præterea eſt, quod quamuis Chriſtus Dominus, eo tempore pauperem vitam duxerit, non tamen ſolitariam, neq; ab omni hominum conuictu ſemotam, ſed veluti communem & ordinariam in

Acta Chriſti Infantis *quæ* nobis cognita.

*Luc. 2.*

exterioribus, *omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret*, nullam alicuj præbent offenſionem. Et excepto illo triduo, quo remanſit in Hieruſalem, vſque ad tempus quando ad prædicandum egreſſus eſt, non erat adeò pauper, & inops, vt emendicare cogeretur; ſed in domo parentum, ex eorum bonis, vel laboribus alebatur; qui licet non eſſent diuites Maria, & Ioſeph, poterant tamen ſine aliorum emendicato ſubſidio, paruam ſuam familiam congruè ſuſtentare. Nec decebat beatiſſimam Virginem talis paupertatis, & mendicitatis modus, qui neque ad virtutis, neque ad ſanctitatis perfectionem conueniens erat, pro eo ſaltem tempore, quo in ſtatu matrimonij vitam priuatam, & in exterioribus rebus communem agebat, qua etiam ratione, nō oportuit Chri-
ſtum

ſtum ſaltem pro illo tempore hunc mendicitatis modum aſſumere. Vnde D. Hieronymus breui ſermone hæc omnia complectens dixit: *Vsq; ad triginta annos Chriſtus Dominus parentum paupertate contentus eſt.* Et clariùs D. Baſilius: *Cùm primâ ſuâ ætate parentum ſuorum imperio eſſet ſubiectus, & labores corporis omnes æquo cum ipſis animo illis obediens tolerauit: veriſimile eſt enim, cùm homines illi eſſent, & iuſtitiæ, & paupertatis cultores tenues, tamen ſolitos eos in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hac ratione quotidianum ſibi victum quæritare. Porrò IESVS cùm his (vt diuinæ literæ prædicant) eſſet ſubiectus, ſine dubio in perferendis etiam vnà cum ipſis laboribus, morigeram declarabat ſuam obedientiam.* Certũ deinde eſt, quòd licet eo tempore Chriſtus Dominus paupertatem coluerit, non tamẽ vitam deſpectui, ludibrio,

*D. Hier. Epiſt. 22. ad Euſtoch.*

*D. Baſil. Conſt. monaſt. c. 5.*

ac hominum irriſioni expoſitam degebat, imò ſapiens, & virtute clarus ab omnibus exiſtimabatur. Quid enim aliud eſt, quod Euangeliſta ait; *Ieſus proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud Deum, & homines*, niſi quòd Chriſtus in particulari, & familiari ſermone ſapientiam ſuam oſtendebat, tum moribus, tum virtutibus, corporisq;, & vultus pulchritudine, quibus hominum beneuolentiam, & gratiam in iuuenili illâ ætate conciliabat? Et hinc *Multi audientes admirabantur in doctrinâ eius, dicentes: vnde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi? & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? &c.* vt contra quoſdam diuerſum ſentientes probat P. Barradius.

*Luc. 2.*

*Marc. 6.*

*P. Seb. Barrad. tom. 1. Concord. lib. 1. c. 15.*

Rurſus valdè probabile, & quaſi certum eſt, Chriſtum Dominum tempore iſto fabrilem

artem

artem exercuiſſe, vel ſaltem Ioſephum laborantem adiuuiſſe. Ita defendunt Caietanus, explicans illa Marci verba, *Nonne hic eſt faber?* in hunc modum: *Hinc habemus, vnde ſatisfiat curioſis quærentibus, quid fecerit Chriſtus vſq; ad trigeſimum annum: vacabat enim exercitio fabrili.* Et Abulenſis, *Chriſtus erat ſubditus parentibus ſuis, id eſt, miniſtrabat eis opere manuali, ad ſuſtentationem vitæ, & ſicut Ioſeph erat faber lignarius, fortè ipſe in eodem officio adiuuaret.* Et Lyranus: *Probabile videtur, quod Chriſtus eandem Ioſephi artem exercuit: & quod in arte patris ſui putatiui fuit occupatus: quia in doctrinâ, & miraculis, vſq; ad trigeſimum annum ſe non exercuit.* Et ità videtur ſentiendum: quamuis Paulus Burgenſis Epiſcopus contrarium ſenſerit his verbis: *Cùm Chriſtus ſummum gradum contemplationis attigerit, nullo modo dici potuit*

*Caiet. Marc. 6.*

*Abul. q. 81. ſup. cap. 13. Matth.*

*Lyr. ſup. c. 6. Marc.*

*Burg. ſup. c. 6. Marc. addit. 1.*

*otioſus, etſi aliquando ab omni actione, ſeu exërcitio corporali ceſſaret: hoc enim pertinet ad contemplatiuam vitam, ab exteriori actione quieſcere: & ideò irrationabile eſt, attribuere Chriſto occupationem in artibus mechanicis, ad remouendum ab eo otioſitatem; neq; ex hoc, quod illi de Nazareth ipſum fabrũ vocabant, concluditur ipſum fuiſſe fabrum: ſed fabrum illum dicebant, ad vilipendendam eius doctrinam; vel dicendum ſecundùm Auguſtinum, quod fabrum Chriſtum credebant, quia fabri filium.* Et quamuis Simon de Caſſia dixerit, *Artem nullam Chriſtus diſcebat, unde captaret neceſſaria vitæ, ſed aut maternis, aut paternis lucris, & interdùm quæſtu humiliter fouebatur: item, operari erat oratio, & ſubleuatio ineffabilis, tota Deifica erat vita eius.* Quamuis etiam P. Barradius inconuiens maximũ reputet, Chriſtum Dominum, vt ſolent fabri, per alienas ædes, fabrilia

*Sim. de Caſſ. lib. 4. c. 2.*

*P. Barrad. lib. 10. cap. 15. in fine.*

lia

lia opera exercuiſſe, conſcendiſſe tecta, ligna cum alijs fabris dolâſſe, eorum fabulis, ac ſermonibus indecoris interfuiſſe. Quorum fundamentis facilè reſpondetur, quòd Chriſtus Dominus vitam communem agens, vt diximus, & filius Ioſephi naturalis ab ignorantibus Incarnationis myſterium, communiter reputatus, & non diues, ſed ſubditus, & obediens, & humilis, dedignari non debuit paternum officium exercere, per quod à ſuperna cõtemplatione nec diuertebatur, nec poterat. Optimè ſanè P. Salmeron. *Multi igitur hoc deſiderio ſciendi, quid ab anno vndecimo ad trigeſimum fecerit Chriſtus, diſcrutiantur, quibus hoc verbo Lucas ſatisfacit: erat Ieſus ſubditus illis. Orabat, ieiunabat, ſilebat, pauperibus parentibus collaborabat. Porrò IESVS cum his parentibus eſſet ſubiectus, ſine dubio in perferendis*

*P. Salmer. tract. 47. tom. 3.*

*etiam*

*etiam vnà cum ipſis laboribus morigeram declarabat ſuam obedientiam.*

Non eſt itaque dedignatus Filius Dei ad tam humilem artem ſe noſtri cauſsâ demittere, vt filium ſe á Deo miſſum oſtenderet eius cui dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, & vt conſolaretur eos, qui ex manuum labore victum quæritant. Sed illud eſt omninò deplorandum, & lacrymis viuis proſequendũ, homines qui eius fidem profitētur, tantũ ab illius imitatione abhorrere quem colunt, vt eos ſolum magnos arbitrentur, qui nihil agunt, otioſiq; totâ die hàc atq; illàc diſcurrunt, iocis ac luſibus vacantes: remq; ignominiæ plenam exiſtiment, ſi homines in artem aliquam, vnde honeſtè poſſint viuere, incumbãt. Sed tantam ſuperbiam atq; elationem ex ſummis ignorantiæ tene-

*Idem tom. 4. tract. 11. Gen. 3.*

tenebris profectam, puniet ſuo tẽporeDeus. Quadrat etiam hoc artificium Chriſto, qui ex cruce ſuâ arcam à diluuio peccati ſeruantem, vt alter Noë fabricatus eſt, & ſcalas nobis cõſtruxit longè maiores illis, quas vidit Iacob dormiens, quibus ad cælum pateret aſcenſus. Rectè etiam illi quadrat nomen fabri, quia *fabricatus eſt auroram & ſolem*, & parat nobis æternas mãſiones in cælo.

*Gen. 6. & ſeq.*

*Ibid. 28.*

*Pſal. 73.*

*Feliciſsimus D. Ioſephi ex hoc mundo tranſitus.*

CAPVT XIIII.

DEniq;, vt ad felicem diui Ioſephi mortem accedamus, tria pręcipuè, quæ erga illam deſiderari poſſunt, nobis commemoranda ſunt: primum, quo tempore obierit; ſecundum, cuius ætatis eſſet, cum è vitâ diſcederet;

*Pleraq; vt à R. P. Ioa. de Cartha. collecta ſunt. tom. 2. lib 4. hom. 3.*

deret; tertium an Chriſtus Dominus, & mater eius morti ipſius affuerint, & quæ obſequia illi præſtiterint.

*D. Ambr. lib. de inſtit. Virg. c. 6. & Luc. 25. S. Cypr. de Paſſ. Dom. Arn. tract. de 7. Verbis Domini circ. 3. D. Aug. ſer 81*

Quando Ioſephus obierit.

Circa primum licet D. Ambroſius, Cyprianus, & Arnaldus Abbas putauerint Ioſephum tẽpore mortis Chriſti ſuperſtitem extitiſſe, cui ſententiæ conſentit D. Auguſtiuus, dum ait; Ioſephũ Chriſtum adorâſſe in ſuà reſurrectione. Verba eius hæc ſunt: *Sol & Luna, & vndecim ſtellæ Chriſtum adorauerunt, quando poſt reſurrectionem ſancta Maria quaſi Luna, & beatus Ioſeph velut ſol, cum vndecim ſtellis, id eſt, beatis Apoſtolis proſtrati ſunt ante eum.* Verùm cum alijs grauiſſimis Patribus arbitror diuum Ioſephum ante tempus mortis Chriſti, obijſſe: ita cenſent, D. Epiphanius, qui poſt duodecimum Chriſti annum è vità illum diſceſſiſſe opinatur:

*D. Epiph. hær. 78.*

ſic

ſic enim ait; *Poſt reditum ab Aegypto Ioſeph non multis annis vixit, permanſit octo annis ſuperſtes, & in duodecimo anno, aſcendentibus illis Hieroſolymam, quæſitus eſt Dominus, quando non reperiebatur in itinere; poſt hos annos moritur Ioſeph: vbi non amplius dicit Euangeliſta, quod venit pater ipſius, & fratres; ſed, ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant; & quando in Cruce pendebat, ſi fuiſſet Mariæ vir, quâ ratione tradidiſſet ipſam Ioanni?* hæc ille: cui conſentiens Vbertinus de Caſalis libro de arbore vitæ, cenſet, non poſt multos dies, poſt inuentionem IESV in templo cum Doctoribus diſputãtis, vitâ functum fuiſſe Ioſephum. Sanctus autem Bernardinus probabiliter credit, illum mortuum fuiſſe ante Chriſti baptiſmum. Cedrenus egregius Hiſtoriographus tradit, Ioſephum vſq; ad Chriſti baptiſmum vitam pro-

*Matth. 12.*

*Ioan. 19.*

*D. Bernar. ſer. de S. Ioſepho.*

*Cedren compend. hiſt.*

duxiſſe. D. autem Bonauentura
*D. Bonau. lib. de Vita Chriſti. c. 17.* in vitâ Chriſti, vſque ad finitum
eius ieiunium illam protendit,
Iſidorus refert quorundam opi-
*Iſid. lib. 4. de S. Ioſep.* nionem exiſtimantium, Ioſephũ
poſt vocationem Apoſtolorum
obijſſe. At tandem nobilis au-
*Commeſt. cap. 38.* ctor, Commeſtor, quamuis ſub
*Ioan. 2.* dubio relinquat, an ſuperſtes eſ-
ſet Ioſeph tempore nuptiarum
in Canâ Galilææ, expreſsè tamen
ait: certum eſſe, quod in Paſſione
Domini mortuus erat. Id, quod
apud me certiſſimè perſuadet
prætacta ratio à D. Epiphanio,
quã etiã acceptant præcitati Do-
ctores; nam ſi ſpõſus Virginis ſu-
pſtes fuiſſet tẽpore mortis Chri-
ſti, minimè alteri, qua illi à filio
cõmendaretur: fuit autem com-
mẽdata Ioãni, vt in ſuã, illam ac-
ciperet, prout ipſe teſtatur: quis
enim dicat, decuiſſe matrem Do-
mini alieno cuſtodi magis, quam
legitimo marito ſuo curãdã de-
putari?

putari? Accedit, quod mihi omniò incredibile ſit, quod ſi Ioſeph tempore mortis Chriſti viueret, Cruci non affuiſſet in conſortio Virginis & Ioannis; ardentiſſimus enim amor, quo Chriſtum Dominum proſequebatur, minimè ferret, tempore paſſionis illum derelinquere, nec poteſt ſanè dici affuiſſe, cum eius non fiat mentio ab Euangeliſtis; nam certè, qui aliorum inferioris notæ meminerunt, nominatim eos referentes aſtitiſſe, minimè ſilentio præterijſſent ſponſum Virginis, putatiuum Chriſti patrem.

Circa tempus autem determinatum, quo ſanctus hic Patriarcha obierit, inter varia Doctorum ſupra relata placita, illud mihi magis rationi conſentaneum videtur, quod ſuperſtes fuerit vſque ad baptiſmum Chriſti,

 quando

*Ioan.1.* quando primùm ſe mundo manifeſtius palàm fecit; quia cum Ioſeph ſpecialiter à Deo electus ac deputatus eſſet ad alendũ arte ſuâ fabrili Matrem & filium, vero ſimile eſt, ſuperſtitem fuiſſe toto tempore, quo Chriſtus Dominus in ſilẽtio à communi hominum conſuetudine ſe abſtinens vitam egit ſolitariam, quá tamen conſtat, vſq; ad annos baptiſmi perduràſſe.

Quâ ætate Ioſephus obierit.

*D. Epiph. hær.78.*

*Cedren. in Compend. hiſtor.*

*P. Moral. lib.2.tr.5. & lib.5.tr. 10.n.13.*

Quâ vero annorum ætate S. Ioſephus animam exhalàrit, non eſt vna omnium ſententia: nam D. Epiphanius nonagenarium tradit obijſſe; Cedrenus verò vſque ad centeſimum decimum annum vixiſſe ſcribit. P. Morales ſeptuagenarium obijſſe probat, quia cum eſſet in virili quadraginta annorum ætate Virginem duxit, & cum ea & Chriſto Domino vixit triginta.

Demum

Demum ſi *pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*, non potuit non pretioſiſſima, & diuinis fulgoribus clariſſima eſſe mors noſtri Ioſephi, cũ Chriſti & Mariæ veluti Solis ac Lunæ irradiantibus ſplendoribus fuerit illuſtrata, vt in hoc carmine cecinit pietas magni illius Cancellarij Pariſienſis: *Pſal. 115.* *Ioan. Gerſ. in Ioſeph.*

*Venerat illa dies, quæ vitam morte pararet*
*Perpetuam tibi, iuſte Ioſeph, Dauid inclyta proles,*
*Chriſtus adeſt cum matre piâ, quibus officioſè*
*Seruieras, vultu placido ſolantur euntem,*
*Ora licet lacrymis oppleuerit intus obortis*
*Naturalis amor, etenim ſat credere fas eſt,*
*Quod patrem Ieſu, & ſponſum fleuit morientem*
*Virgo benigna ſuum.*

Quam-

Quamuis autem apud Patres nihil horum reperiam, quę commemorat Gerſon, lego tamen illa & permulta alia apud Iſidorũ Inſulanum lib. 1. de S. Ioſeph, quem ſcripſit ad Papam Adrianum VI. qui ex hiſtoriâ quadam orientali fide dignâ, refert Chriſtum Dominum Apoſtolis ſuis nonnulla enarrâſſe de tranſitu D. Ioſephi, quorum hæc, quæ ſequuntur, tamquam commemorabiliora hoc loco duxi recenſenda. Primùm Ioſeph præmonitus fuit ab Angelo de morte ſuâ; Deinde Archangelum Michaëlem ſibi adeſſe poſtulauit & obtinuit; nec non & Angelum Cuſtodem alacri vultu ſibi apparere ſimiliter impetrauit. Præterea Ioſeph allocutus eſt Chriſtum Dominum, qui morti eius aſtitit, dulciſſimis verbis, verum Deum, illum confitens, & Saluatorem

*Iſid. Inſul. lib. 1. de S. Ioſ. c. 14 & refert. Gratian. lib. 3. de vita S. Ioſ. cap. 3.*

Accidentia circa mortem Ioſeph.

torem mundi: Retulit etiã Chriſtus ſe ad caput lecti Ioſephi ſediſſe cum Mariâ matre ſuâ, illum conſolantes, & manus eius tenentes, & poſt mortem oculos eius proprijs manibus clauſiſſe, ac tandem præcepit Angelis, vt corpus eius veſte induerent: ipſe illum benedixit, benedictionem ſuam pollicitus daturum eis, qui in die obitus S. Ioſephi ſacrificium Deo in eius honorem obtuliſſent; addiditq; vigeſimâ die Iunij obijſſe; & ſepulcrum eius iuxta ſepulcrum Iacobi patris ſui fuiſſe. Quamuis autem hæc, quæ iam retuli, nec in ſacris literis, nec apud quenquam SS. Patrum legantur, ea tamen audlè recipiunt, & referunt doctiſſimi quidam viri, & dictam hiſtoriam Orientalem fide dignam cenſent, Iſidorus Inſulanus lib. 1. de S. Ioſepho, c. 14. Hieronymus

Dies obitûs & ſepultura Ioſephi.

Gratianus de laudibus S. Ioſe-phi, lib. 3. cap. 3. P. Ioannes de Chartagenâ lib. 4. Homil. 3. P. Morales in cap. 1. Mathæi. lib. 5. tract. 10. ad huc alia quædam recenſet n. 13. & ſequentibus ex Inſul. & citatâ relatione orientali. Verum tamen eſt, & Bedam docere, Ioſephum ſepultum fuiſſe iuxta Virginis ſponſæ ſuæ ſepulcrum, quod conſtat fuiſſe in valle Ioſaphat, qui locus medius eſt inter Montem Sion, & Montem oliueti; quod idẽ colligitur ex D. Hieron. ſerm. de Aſſumptione.

*D. Hieron. V. Bed. de locis ſanctis c. 6. & Bruch. quos refert P. Suarez 2. to. in 3. p. q. 37. ar. 4. diſ 21. ſect. 2. ad 1.*

Martyrologium Romanum, Adonis & aliorum diem eius feſtum annotat 19. Martij: Cardinalis verò Baronius in annotationibus, Græcos 26. Decembris in Menologio eius memoriam celebrare tradit.

Sed liceat mihi, antequam vlterius progrediar, verba illa, quibus

bus veroſimile eſt in vltimâ illâ horâ Chriſtum & Ioſephum dulciſſimè inter ſe colloquutos fuiſſe, contemplari; ſi enim Dauid dicebat: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es:* putauerim certè ſanctiſſimum Ioſephum iam iam moribundum dixiſſe: Mortem non timebo, quoniam tu mecū es, præſentiâ diuinitatis ſub tegumento carnis humanæ. Si enim Simeoni te ſemel in templo vidiſſe, & in vlnis ſuis accepiſſe, ſatis fuit, vt lætus diceret, in illa verba erumpens: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbū tuum in pace: quia viderūt oculi mei ſalutare tuum*: mihi non ſufficiat nō dicā ſemel, non dicā centies, non dicā millies, ſed quaſi infinities te aſpexiſſe, in vlnas meas accepiſſe, in ſinu meo fouiſſe, brachijs meis conſtrinxiſſe, dulcia

*Pſal. 22.*

*Luc. 2.*

oſcula exhibuiſſe, & vſq; ad hanc vltimam horam indiuiduum comitem mecum colloquenté, & conuerſantem ſemper habuiſſe; meritò ſanè id mihi ſufficiet, vt libens, & alacer moriar. Sed dic mihi (ſanctiſſime Ioſeph) ſi alij mori volunt, vt cum Deo viuant, quomodo tu cum Deo viuens mori cupis? Paulus quidem emori deſiderauit, vt Chriſti præſentiâ frueretur, cum dixit:
Phil. 1. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto:* Et tu cum Chriſto habitans, diſſolui cupis, Chriſti ſocietatem amiſſurus? Crediderim ſanè in te duplicem voluntatem inter ſe duello conflixiſſe mirando: voluntas quidem non diſcedendi à Chriſto, & voluntas diuinæ voluntati obtemperandi: at cum diuinâ reuelatione agnoſceres præfixam à Deo tuæ vitæ periodum iam iam proximam eſſe, di-
uino

uino te conformans beneplacito, voluntas illa prima ceſſit ſecundæ, & ideò cupiebas ardentius, quam Paulus anathema fieri à Chriſto, vt diuinæ voluntati perfectiſſimè obſecundares, dicens: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* *Luc. 22.* Exiſtimauerim etiam, tamquam verè humilem Chriſto dixiſſe verba illa Dauidis: *Delicta quis intelligit?* propterea Domine, *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo*: ne differas quæſo veniam, ſed *remitte mihi, vt refrigerer, priuſquam abeam*, præſta mihi nate Dei, *vt in pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* His, quid putas quæſo, Chriſtum Dominum dilectiſſimi ſui legalis patris verbis reſpondiſſe? Absq; patre in hoc mundo natus ſum, ſed tu paterno affectu, & ſollicitâ, clientelâ, pluſquam pater mihi fuiſti; tu genitricis meæ ſolatium,

*Pſal. 18.*

*Pſal. 4.*

Chriſtus conſolatur Ioſephũ morientem.

um, tu infantilis corporis mei nutritius, tu mihi in terris magni conſilij adiutor fideliſſimus adfuiſti, tu laborioſam in Ægyptum profectionem, & inter Idololatras inhabitationem, ac in Nazaretham regreſſum ardentiſſimo amore, & vigilantiſſimâ curâ ſuſcepiſti; cum ergò tot, actam innumera obſequia mihi exhibueris, lætus diſcede, quia ab omni prorſus etiam leuiſſimi peccati maculâ alienus es; angelicis manibus in ſinum Abrahę certo deferendus, ac poſteà me ab inferis reſurgente mecũ glorioſus reſurrecturus, vt in æternum feliciter mecum conregnes. Quod ſi ſacra Scriptura ait: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, non poteſt nõ beatiſſimus extitiſſe Ioſephus, qui non ſolum in Domino, ſed & cum Domino Ieſu, ad caput lecti illum conſolante, ac in ma-

*Apoc. 14.*

nus

nus eius animam exhalans, dulciſſimè ac feliciſſimè obijt.

His addo id, quod ex ſacrâ Scriptura colligo; nam ſicut cõſtat ex viduâ illâ Euangelij, quæ filium vitâ functum ex ciuitate Naym in ſepulcrum ſequebatur, mos erat apud Hebræos, parentes filios mortuos vſq; ad ſepulcrum comitandi; vero ſimilius eſt, hoc genus obſequij, vxorem & filios erga parentes exhibuiſſe: Chriſtum ergò & Deiparam Mariam Ioſephi feretrum comitatos fuiſſe crediderim, prout prudenter adnotauit P. Barradius. Porrò ea, quæ Bernardinus de Buſto contemplatur, quia rationi conſentaneum eſt ita reipsâ contigiſſe, hoc loco referre non dedignabor; ſic enim ait: *Piè credo, quod dulcis Ieſus, & pijſſima Virgo infirmo Ioſepho ſolicitè inſeruiebant, & ei fercula propinabant, atq; proprijs manibus, quando opus erat,*

*Luc. 7.*

*Bar. tom. 1. lib. 6. c. 8.*

*Ber. Buſt. lib. 20. de deſponſ. Mariæ.*

*eum portabant, circa lectum ſtantes ipſum confortabant: dicebatq́; Ioſeph Domino Ieſu: nunc lætus moriar, ſperans, quod citò venies liberare nos; in trãſitu autem eius dixit Ieſus: Vade dilecte mi; alacriter ab hac miſeriarum valle; & porta hoc bonum nouum ſanctis Patribus, quod infra paruum tempus veniam ad vos, & ad cœleſtia regna perducam. Præcepit autẽ Angelis ipſe Dominus; Subuenite ſancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam eius; ad ipſum verò Ioſeph de hac vitâ migrantem ait: Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere habeas requiem; anima igitur ipſius magno honore in ſinum Abrahæ ab Angelis delata fuit.* O terq; quaterq; felix Ioſephus, qui certus æternæ fælicitatis ex hoc ſeculo nequam migrauit, vtpotè cui perſuaſum erat, fore, vt breui ex illo obſcuro educeretur carcere, & aſſumptus in cęlum, ibi ſempiterno æuo cum beatis omnibus im-

immortali gloriâ perfrueretur. Etenim ſpem hanc firmam, & conſtantem conceperat de dulci alumno ſuo, quem amantiſſimè nutrierat, & quibuſcumq; rebus poterat, illi præſtò fuerat. Nec ſua illũ hęc fefellit ſpes; nã, vt tradunt D. Bernardinus & Gerſon: ſanctus Ioſephus reſurrexit glorioſus ad vitam immortalem inter eos, qui cum Chriſto reſurrexerunt. Potuiſſet Chriſtus Dominus, ſicut olim Lazarum, multò ante ad vitam illum reuocâre, ſed conſultò opinor, Ioſephi reſurrectionem vſq; ad propriam ſuam diſtuliſſe, vt, qui pariter mortales vixerant, pariter glorioſi, & immortales reſurgerent: Vnde cancellarius Pariſienſis egregiè dixit: *Legimus multa corpora Sanctorum reſurrexiſſe, & veniſſe in ſanctam ciuitatẽ & apparuiſſe multis; recogitet, oro, pius animus, ſi iuſtus Ioſeph vnus ex illis putandus eſt, qui*

*D. Bern. in ſer. de S. Io. tom. 3.*

*Ger. in ſua Ioſephina.*

Ioſephum cum Chriſto reſurrexiſſe.

*Gerſ. ſer. de nat. Mar. conſid. 3.*

*S. Ber. ſer. tom. 3. ſer. de S. Io. art. 3. c. 2.*

*appa-*

*apparuerit chariſſimæ ſponſæ, qui eam conſolatus ſit?* Clarius adhuc S. Bernardinus (id referente illo alio Bernardino) concionem habens Paduæ, affirmans clamabat ad populum: *In animâ & corpore ſanctus Ioſeph in cælis glorioſus eſt.* In cuius veritatis teſtimonium (vt idē auctor ſcribit) continuò viſa fuit crux quaſi aurea ſuper caput eius. Et quidem, cum Salomon dixerit: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus;* meritò putauerim, cum Maria ſolum, & Ioſephus fuerint domeſtici Chriſti, dum vitam mortalem agebant, duplicibus eos fuiſſe veſtitos, veſte ſcilicet glorioſâ animæ, & alterâ ſplendidâ corporis. In eandē ſententiam ſcribit P. Hildephonſus Giron. *Fiant Nazaræi inter fratres ſuos in capite Ioſeph:* vt inter ſanctos omnes tam veteris, quam noui teſtamenti, florido diade-

Ber. de Buſto, 4. P. ſer. de deſponſ. Mar.

Prou. ult.

Hildephō. Gir. ſer. de Ioſeph. circa finem.

mate pręfulgeat pręuentus *in benedictionibus ducedinis*: vt ſatis rationabiliter à multis credatur, quod ſimul cum Chriſto Domino reſurrexerit, eo priuilegio ſibi cælitus conceſſo, quod multis corporibus Sanctorum conceſſum eſt, quæ in Saluatoris reſurrectione apparuerunt. Sic enim gloriam Chriſti Domini, atq; Virginis ipſius Sponſæ decebat: vt non ſolum eſſentiali gloriâ, ſed & accidentali ex glorificatione corporum ſimul perfruantur. Idem ſentiunt, P. Barradius, Iſolanus, Viguerius, Auctor Margaritæ Confeſſorum, Magiſter Fonſeca, P. Suarez, P. Andreas de Soto, P. Hieronymus Gratianus, M. Ioſephus à Baldiuieſo. Petrus Morales, Ioannes de Carthagena.

*Deut. 33. Pſal. 20. Bar. tom. 1. lib. 6. c. 8. Iſol. 4. p. c. 3. Vigu. c. 20. Mar. Con. q. ult. n. 9. Fonſ. rit. Chriſti. cap. 9. Suarez tō. 2. in 3. p. q. 29. art. 2. diſ. 8. ſect. 2. P. Soto in lib. S. Ioſ. cap. 33. Grat. lib. 5. tit. 5. n. 8. Baldiuieſo cant. 24. de Ioſeph. P. Mor. lib. 5. tract. 11. n. 7. Cart. l. 4. ho. 3.*

Q S. IO-

*S. Ioſephi gloria in cœlis, patrocinium, & miracula.*

## CAPVT XV.

TRanſeo per longas ambages enarrare, quę ſcriptores ſuperius aliquoties memorati, de D. Ioſephi gloriâ, prodiderunt, quæ apud ipſoſmet Auctores legi poterunt, nos ea tantum, quę ad hiſtoriam pertinent, proſequi decreuimus. Tradunt ij veroſimile eſſe, D. Ioſephũ reliquos omnes Sanctos (Deiparâ exceptâ) in gratiâ & gloriâ longo interuallo excellere: immò Choris omnibus Angelorum, antiquis Patriarchis, ac reliquis Sanctitate eminentibus viris eum præferunt; quorum vnus etiam in hanc ſententiam ſcripſit. *Quanto magis cælestia contemplor chariſmata, quibus eximia Christi Domini magnificentia legitimum Genitricis ſuæ ſponſum, legalemq;*

Singularis Ioſephi dignitas & excellentia.

P. Ioan. de Carthag. tom. 2. lib. 4. hom. 9.

*galemq́ ſuum patrem, Ioſephum locupletauit, tanto in maiorem admirationem rapior, vehementiusq́ in eam propendeo ſententiam, vt illum ( Deiparâ Mariâ exceptâ ) cunctis cælicolis præponendum piè & religiosè cenſeam.* Ex his omnibus infero magis verè (vt opinor) quam audacter ( exceptâ B. Virgine ) D. Ioſephum, ſicut ſanctitate in Eccleſiâ militante, ita, & gloriâ in triumphāte omnes ſanctos præcellere. Sicut enim ſacri hi coniuges Ioſephus & Maria, dignitate, & paterno munere erga Chriſtum, & mutuo etiam amore inter ſe fuerunt coniunctiſſimi, dum vitam mortalem agerent, ita ad æternā felicitatem tranſlati, beatitudine, & gloriâ propinquiſſimos eſſe decebat. Vnde Cancellarius Pariſienſis tam pie, quam prudēter dixit: *Quantus exiſtimandus eſt iuſtus Ioſeph in gloriâ, & in cælis, qui*

*Idem ibid. hom. 8.*

*Gerſ. ſer. de natiu. B. Virg.*

*talis, ac tantus inuentus eſt in miſeriâ & in terris? profectò cum dicat Chriſtus: vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit, ille proximior videtur collocandus in cælis, qui in miniſterio fuit vicinior, obſequentior, atq; fidelior poſt Mariam inuentus in terris*: ibidem etiam in hunc modum cecinit:

Ioann. 12.

Id. eod. ſer. conſid. 3.

*Felix illa dies, toto celeberrima mundo,*
*Sacra docens læta, quæ ſcandit ad æthera Virgo*
*Mater, & angelicos ciues ſuperuolat omnes,*
*Hinc tibi Virgo, Ioſeph, IESVS, & tua ſponſa*
*Propinquum (credere fas) ſtatuunt ſolium.*

Equidem cum Chriſtus Dominus dixerit: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*: certè Ioſeph, qui Chriſtum Dominum ſupremum omniũ Prophetarum millies in domum ſuam ſuſcepit, non potuit

Matth. 10.

tuit non eius prǽmium omnium Sanctorum eſſe ſupremum. Sed hanc doctorum virorum ſententiam, pluribus auctoritatibus confirmari æquum eſt. Petrus Morales itaq; aliquot ſuppoſitionibus præmiſſis, hanc infert concluſionem: *Sanctiſſimus Ioſeph cum Christo reſurgente, corpore & animâ reſurrexit, & cum eodem Christo cælos aſcendente, ipſe pariter corpore & animâ cælos aſcendit, & prope ipſum Christum Dominum, poſt Virginē Deiparam, in ſublimi gloriæ throno fuit collocatus.* Ita defendit D. Bernardinus Senenſis, ſic ſcribens: *Piè quidem credendum eſt, quod piiſſimus Filius Dei IESVS pari priuilegio decorauit ſuum putatiuum patrem, ſicut ſuam ſanctiſſimam matrem, vt ſicut illam aſſumpſit in cælum, in corpore & anima glorioſam, ſic etiam in die Reſurrectionis ſuæ, ſanctiſſimum Ioſeph in gloria ſecum. Vt ſicut illa ſancta*

*P. Moral. lib 5. tract. 11. n. 19.*

*D. Bernar. Sen. tom. 3. a. 2. c. 1. & 2.*

*familia, ſcilicet Chriſtus, Virgo, & Ioſeph, in laborioſa vita, & amoroſa gratia ſimul vixerunt in terris: ſic in amoroſa gloria nunc, & corpore & anima regnent in cælis; iuxta regulam Apoſtoli: Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis:* Eandem ſententiam tuetur & ſic probat P. Ioannes Oſorius. *Si is qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipit. Qui recipit Deum in nomine Dei, qui eum pauit, mercedem Dei accipiat, regium ſuſcipiat diadema: etſi vt Deus colendus non eſt, vt Pater tamen Dei colatur, cum patris munus in Deum exercuerit; & qui Deum hominem factum in ſuum ornamentum in terram ſæpius portauit, Deum ſpeciali quadam ratione in cæleſti regno ſuſcipiat; Et qui hîc induit Chriſtum Dominum, præ ceteris eum in brachijs geſtans, illumq́; proximum habens ſibi ac coniunctiſſimum, in cælo ſimiliter Chriſti, Throno coniunctiſſimus*

2. Cor. 1.

Oſor. ſer. 2. de S. Ioſep.

Matth. 10.

*ſimus ſit. In terrâ IESVS, MARIA, IOSEPH coniunctiſsimi fuêre; cur eos in cælo locus ſeparet? Nũ dilectiſsimũ ſpõſum à ſe procul poſitum Maria videbit? Num dulciſsimum patrem, qui ei adhæſit in terra, in cælo procul ſitum, conſpiciet Chriſtus? Hos amantes nec mors ſeparare potuit, ſed ſicut in vitâ dilexerunt ſe, ita in morte non ſunt ſeparati.* Hucuſq; Oſorius. Viguerius Granatenſis de myſterio Incarnationis Filij Dei, facilè ſe expediuit dicens: *Ioſeph nunc cum B. Virgine ſuper choros Angelorum præmiatur.* Et Iſolanus ſimili breuitate dixit: *Ioſeph Virginis ſponſus, velut alter Ioſeph gemina donatus ſtola, ſcilicet beatitudine animæ & corporis, Chriſtum Regem Regum, ad cælos aſcendentem aſſociauit, & primus poſt Chriſtum Regem Regum ſedit; conſidera obſecro, dignum veneratione parentem, quantis honoribus, ac beneficijs inclytus filius proſequatur, cogente natura, ſuadente*

*Viguer. ca. 20. § 9.*

*Iſol. 4. par. cap. 20.*

*ratione; ac moribus prædicantibus. Quid ergò de Chriſto Deo vero, ex quo omnis bonitas in cælo, & in terra nominatur, dicendum erit?* Item P. Sebaſtianus Barradius ex Gerſone ait: *Quanta autem in cælo gloria fulgeat Ioſeph, docet Cancellarius his verbis: Collocatus eſt à dextris IESV, hoc eſt, in potioribus bonis ſuis.* Et Bernardinus de Buſto poſtquam Gerſonis memorata verba retulerat, ita concludit: *Ex quibus patet, quod nullus Sanctus in cælis eſt maior ſancto Ioſepho poſt beatam Virginem benedictam.* Adduci poſſent plures alij huiuſmet ſententiæ patroni, eorum tamẽ agmen claudat P. Fráciſcus Suarez, qui ita ſcribit: *Aliqui enim piâ fortaſſè deuotione moti, nimiùm aſſeueranter ſanctum Ioſeph ſupra omnes Apoſtolos, & Angelorum choros conſtituunt, vt videlicet eo ordine, quo à Matthæo cap. 1. nominantur IESVS, MARIA, IOSEPH, eodẽ in cæleſti*

*Barrad. tom. 1. lib. 6. cap. 8.*

*Buſto 4. part. ſerm. 12.*

*Suarez. tom. 2. in 3. p. q. 29. art. 1. & 2. diſp. 8. ſect. 2.*

cæleſti

*leſti gloriâ ſedeant, & perfectione beatitudinis fruantur, quia officio, & dignitate, & amore fuerunt coniunctiſsimi: ſicut enim humanitas Chriſti eò abundantiorem gratiam obtinuit, quò propinquior fuit Verbo, & ſtatim B. Virgo, quæ proxima fuit Filio: ita exiſtimatur S. Ioſeph quaſi tertium locum in abundantia gratiæ obtinuiſſe, quia poſt Virginem propinquiſsime attigit Chriſtum, familiariusq́ tractauit, & ſingularem coniunctionem cum ipſo habuit. Alij vero nimium fortaſsè timidi, temerarium, aut etiam erroneum exiſtimant, illum Apoſtolis, æquare.* Ipſe verò in fine illius ſectionis ſecundæ, ſic piè, doctè, & prudenter ſuam ſententiam protulit: *In hac igitur comparatione non exiſtimo eſſe temerarium, nec improbabile, ſed pium potiùs, & veriſimile, ſi quis fortaſsè opinetur, Sanctum hunc reliquos omnes in gratiâ, ac beatitudine antecellere, quia ex Scripturâ nihil eſt, quod repu-*

*repugnet, nec in Patribus aliquid reperio. Et, ſi quæ ſunt generales locutiones, quibus Apoſtolos præferre videantur, intelligi poſſunt facere comparationem regulariter cum alijs Sanctis, & non excludere ſpeciale aliquod priuilegium, & præſertim loqui de poſterioribus Sanctis, non verò de prioribus, & de his omnibus, qui cum Chriſto vixerunt, & ipſis Apoſtolis contemporanei fuerunt. Nihilo minus tamen cordati, ac prudentis hominis eſſe exiſtimo, nihil temerè, aut nimiùm aſſeueranter affirmare, quia re vera vbi deeſt Scripturæ auctoritas, aut Eccleſiæ traditio, nulla poteſt eſſe ſufficiens certitudo, in re præſertim ex diuinâ electione, ac prædeſtinatione pendente, cuius conſilia inſcrutabilia ſunt, & abditiſsima myſteria.*

Ioſeph tres aureolas virginitatis, magiſterij, & Martyrii habet.

Et hæc de gloriâ eſſentiali S. Ioſephi ſint ſatis. Videndum reſtat de aureolæ accidentali gloriâ. Sanctiſſimum itaq; Ioſephũ triplicem aureolam, ad ſimilitudinem

dinem Virginis Deiparæ, in æterno poſſidere Regno, non eſt improbabile. De Virginitatis nulli iam eſt dubium, cum ante Virginis deſponſationem virginitatem ſeruauerit, & poſt deſponſationem, ſtatim cum ipsâ Virgine, virginitatem vouerit, eamq́; vſque ad vitæ terminum, perfectiſſimè integram inuiolatamq́; ſeruauerit, vt ſentiunt omnes Doctores moderni, quos refert P. Petrus Morales. In quo ſic concludit Iſolanus: *Verùm de aureolâ Virginitatis Ioſeph Catholici Doctores minimè nunc hæſitant, tum quia Virginem mente, corpore, voto & ſtatu mortuum Ioſeph credunt, tum quia primus ſecutus eſt Virginum Reginam, tum quia ſponſus, & ſponſa communibus ornatibus circumdari conſueuerunt. De aureola autem prædicatorum* (inquit Iſolanus loco proximè citato) *ſic argumentamur.*

*P. Moral. l. 2. tract. 6. & l. 4. tr. 3. Iſol. 4. par. cap. 4.*

*Plus*

Plus eſt Chriſtum prædicare facto, quã verbo; ſed Ioſeph Chriſtum factis ſummoperè prædicauit, quibus quidem occaſionem vniuerſo præſtitit orbi, vt cõuerteretur ad adorandum Deum verum hominem factum; itidem veri prædicatores deſurſum illuminantur, ſuo tempore loquuntur, & ad Deum verum agnoſcendum, quoſq; conuertere conantur; ſed Ioſeph ab Angelis fuit illuminatus, quibus conuerſabatur, ſuo tempore de Deo eſt alloquutus; verba nempe prædicatoris fumus ſunt diuini ignis in corde ardentis, atque in Chriſti cognitionem mortales ad vitam æternam deducere ſatagentis. Subſiſtamus hîc parumper, & Ioſeph multos per annos habitantem in Aegypto meditemur. Annon credimus, Ioſeph innumeris vicibus fuiſſe exhortatum eos, cum quibus conuerſabatur Aegyptios, vt Deũ verũ colerent? ſi quãdo cõtigerit eos audire, Meſſiã promiſſũ in lege Iudæorum adueniſſe, vt crederent, per-

ſua-

ſuaſiſſet? aiebat verò, Deus erit verus, & verus homo, & ipſe renouaturus eſt mundum: veſtra deſtruet idola; innouabit ſacrificia; renouabit leges, mores, vitam, regna, & imperium hac tempeſtate; qui ſanctæ legis profundiora vero intellectu dignoſcunt, Meſsiæ aſſenerant tempora adeſſe. Quod profectò apud me dubium non eſt. Vos hortor, ô fratres Aegyptij, lætamini, quia pariter vos redimet à poteſtate tenebrarũ, vos quidem ex hominibus illi credentes eritis ſimiles Angelis, imò homines in ſe credentes, Meſsias tandem donabit æterno regno cælorum. Verùm cum Nazareth Galilææ habitaret ciuis, & cognitus ampliora quotidie prædicabat. O quoties beneuolos, & verè amicos hortabatur, vt quam attentiſsimè faciem, verba, mores IESV filij ſui animaduerterent. Arbitrabatur enim, quod caro illa diuinitatis odorem ceteris emitteret ſicut ſibi. Perſuadeo demum mihi ipſi, ſicut præſentia corporis Chriſti in Eccle-
ſiæ

*ſiâ, ac Sacramentorum virtute plurimi ſalui fiunt: ſic & in Nazareth ciuitate, illis temporibus multi ſunt ad fidem conuerſi conuerſatione Chrſti, beatiſſimæ Virginis moribus, meritis quoq; ac verbis Ioſeph.* Nec tantum noſter Ioſeph extitit prædicator, ſed in ſincero animarum zelo, omniũ Concionatorum Chriſtum prædicantium exemplum, & virorũ ſpiritualium Dux fuit & Magiſter vt probat antedictus P. Morales. De aureolâ Martyrij idem Inſulanus vbi proximè, ſic ait: *Ioſephi excellẽs victoria fuit tyrannorum perſequentium Chriſtum, ac gladio materiali ſatagentium illum occidere, quâ victoria expreſſè liquet, pro Deo voluntariam mortem non expauiſſe, propterea palma martyrÿ benemeritus dici poteſt. Adhuc dationi animæ, actu cõuenit palma martyrÿ; ſed Ioſeph actu offerens eam dedit pro Deo, quanquam non potuerit tyrannus eam eripere. Ioſeph*

*Moral. lib. 3. tract. 11. n. 19.*

*ſeph igitur palma martyrij benemeritus. Item, ſignum deſiderij martyrij eſt charitas, quæ excellentiſsimè inuenta fuit in Ioſeph. Perſuadetur ergò ornatus palmâ Martyrij apud ſuperos. Præterea ceteri Martyres ex abundantia gratiæ diuinæ optauerunt ponere animam pro Chriſto, dicente Leuita Vincentio; hoc eſt, quod ſemper optaui, & votis omnibus exquiſiui; ſed gratia Ioſeph fuit abundans, & exuberans; ergò palma martyrij fuit dignus.*

Et confirmatur: quia ex verbis Simeonis poſt B. Virginem, gladius doloris animam Ioſephi, propter eximium amorem ad Chriſtum pertranſiuit; ergò cũ Virgo Deipara eâ ratione fuit Martyr, & pluſquam Martyr, licet in pace vitam finierit, ſic erit proportionaliter, & noſter Ioſeph. Atque hęc de gloriâ tam eſſentiali, quàm accidentali D. Ioſephi in cælis dicta ſufficiant.

Verùm, vt rem hanc pro modulo noſtro nõnihil elucidemus, placet D. Bernardũ imitari; nam ſicut ille contemplatur diuinas perſonas de humani generis ſalute ſolicitas, de Incarnationis remedio exequendo inter ſe ſermonem inijſſe; ita & ego, appropinquante tempore, quo S. Ioſephi merita remuneranda erant, contemplor Patrem, & Filium inſtar Tobiæ, iunioris & ſenioris, de præmio illi conferendo inter ſeſe collocutos fuiſſe. Sacra refert hiſtoria, patrem Tobiæ poſt reditum filii, illum ad ſe accerſiſſe, vt de mercede Angelo Raphaëli danda (quem hominem eſſe putabant) pro labore itineris, quod cum ipſo filio confecerat, inter ſe confabularentur: *quid* (inquit ſenior Tobias) *poſſumus dare viro iſti qui venit tecum?* reſpõdit filius: *Pater quam mercedem dabimus*

*D. Bern. ſup. Miſſus eſt.*

Conciliũ SS. Trinitatis ſuper Ioſephi gloriâ. Ita ferè P. Oſorius *conc. 1. de S. Ioſepho.* & P. Carthag. *lib. 4. hom. 8.*

*Tob. 12.*

*bimus ei, aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem me habere fecit, & dæmonium ab eâ ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, meipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoq; videre fecit lumen cæli: & bonis omnibus per eum repleti ſumus, quid illi ad hæc poterimus dignum dare?*

Non diſſimiliter, æternum Patrem Chriſto Domino dixiſſe contemplor: quid retribuemus, fili, iuſto huic viro Ioſepho, cui ego te, tamquam Patri in terris tradidi? Filius eius reſpondit: Quam mercedem, Pater, dabimus ei, aut quid dignum poterit eſſe beneficijs ab eo per triginta annorum curriculum in me collocatis? Ipſe, antequam naſcerer, me comitatus eſt; deinde iam natum me duxit, & reduxit Nazareth, in Bethlehem, inde in Ie-

ruſalem, à Ieruſalem in Galilæam, poſtea ab Angelo admonitus, vt à deuoratione immaniſſi-
*Matth.2.* mi illius piſcis (Herodem crudeliſſimum tyrannum intelligo) me eriperet, in Ægypti longinquam regionem duxit, vbi labore artis fabrilis, & ſudore vultus ſui, & Matrem & prolem alebat; deinde ex Ægypto in Nazareth me reduxit; ipſe peregrinationis meæ fideliſſimus extitit comes; ipſe mihi eſurienti cibum, ſitienti potum porrigebat; ipſe cùm hoſpes eſſem, me ſuſcipiebat; cum nudus, me induebat; ac tandem, quam diu vixit, officio & amore ſemper amatiſſimus mihi pater extitit. His tandem obſequijs à Filio enarratis, id putauerim reſpondiſſe Patrem: In cæleſti hac noſtrâ curiâ duo honoratiora ſunt loca, vnus dexteræ tuæ, alter ſiniſtræ; tu noſti benè,

Decretum Dei Patris.

natu-

naturali tuæ Matri, ac legali tuo patri ab æterno illa fuiſſe præparata; dexteram Mater, ſiniſtram pater accipiat. Hinc, inter alias rationes, ob quas Chriſtus Dominus Matri filiorum Zebedæi ab eo poſtulanti, vt ſederent filij eius, vnus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram in regno ſuo, reſpõdit: *Neſcitis quid petatis, &c. ſedere autem ad dexteram, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*: eam noſtro argumento valdè conſentaneam, minimèq; comtemnendam putauerim, quod iam ab æterno loca illa dexteræ & ſiniſtræ, immutabili Dei decreto, Mariæ & Ioſepho à Deo Patre deſtinata erant. *Matth. 20.*

Quam autem ſanctus noſter Patriarcha Ioſeph in cælis præpotens ſit ad impetrandum quæ à nobis enixè poſtulantur, duo *P. Carthu. lib. 4. hom. 3.*

potiſſimum mihi ſuadent. Vnũ, quod ſi Dauid loquens de Deo
Pſal. 144. ait: *Voluntatem timentium ſe faciet:* multò magis voluntatem amantium illum; vnde cum amor Ioſephi ergà Chriſtum tenerrimus pariter, ac intenſiſſimus fuerit, facile à dilecto ſuo IESV quæcumq; volet obtinebit.

Alterum eſt, quod reliqui Sancti, etiam Angeli & Seraphini deprecatoriè poſtulant à Chriſto Domino, tanquam ſerui; Ioſeph autem auctoritatiuè quodammodo tamquam pater illius; cui ſanè ſicut Chriſtus ipſe in terris tamquam patri ad nutum obſecundauit, ita in cælis acceptæ ab eo beneficentiæ non immemor, ad nutum eidem tamquam patri affectu filiali, quem ab infantia concepit, ac perpetuò conſeruauit, ad nutum in cælis obedit. Vt autem ad preces D. Ioſepho eſ-

fun-

ſudendas, ac varia obſequia ei alacriter exhibenda fidelium animi accendantur, operæ pretium duxi ex probatis Auctoribus nõnulla hoc loco commemorare, quæ ad id deſeruire poterunt.

S. Vincentius refert, piũ quendam mercatorem Valentiæ ſolitum fuiſſe ſingulis annis in die natalis Domini, in reuerentiam IESVS, MARIÆ & IOSEPH ad prandium inuitare pauperculam aliquã fæminam infantẽ filiũ in brachijs portantẽ, necnon etiam pauperem ſenem, qui matrem & filium comitaretur; hoc ſanè obſequium gratum adeò fuit Deo, vt ipſi iam moribundo Chriſtus Dominus, Maria & Ioſeph palam facerẽt dicentes: Cum hucuſq; nos gratanter hoſpitio domi tuæ ſingulis annis ſuſceperis, nos in æterna tabernacula cum ingenti iubilo perpetuo regnaturum *S. Vinc. ſer. de Natiu. Domini.*

turum te ſuſcipimus.

*Iſid. Inſul. p. 4. c. 10.*

Narrat etiam Iſidorus Inſulanus, quod, cum quidam nobilis vir Venetijs, ſolitus eſſet preces fundere D. Ioſepho, in genua procumbens ante imaginem eius, in ſuperficie parietis depictã, accidit vt graui graſſante morbo correptus, omninò ſpiritualis ſalutis ſuæ immemor, ad corporis medicamina totum ſe conuerteret; at D. Ioſephus paternâ commiſeratione motus ei repentè apparuit, & à ſomno ſpirituali, quo correptus in lecto iacebat, excitans illum, admonuit, vti integram ſuorum peccatorum cõfeſſionem nullâ interpoſitâ morâ faceret; quod continuò præſtans infirmus, acceptâ abſolutione in manibus D. Ioſephi animam exhalauit, qui eam ad æternam hæreditatem ſecum tulit.

*Vita B. Thereſæ.*

B. Thereſa fundatrix Carmelitarum

litarum Excalceatorum, per interceſſionem S. Ioſeph, cui deuotiſſima fuit, ſanitatem corporis non ſemel conſecuta, grauiſſima quæque ac ſtupenda peregit, Monaſteria plurima ordinis ſui ſub eius inuocatione fundauit, & quoſq; eum in neceſſitatibus inuocare docuit.

Hoc interim obiter monendum, eius diem feſtum antiquitus in Eccleſiâ ſolenniter non celebratum, cuius rei rationẽ reddit Vbertinus de Caſalibus, id factum eſſe propter hæreticos, qui eum naturalem IESV patrem fuiſſe perhibuerunt, & ita filio Deitatem, Matri Virginitatem detraxerunt. Nunc ſublatâ illâ hæreſi, ceſſauit & cauſſa. Eadem ferè ſcribit S. Bernardinus Senenſis in ſermone de S. Ioſeph.

*Vbert. l. 2. cap. 6.*

*Bernard. art. 2. ca. 2.*

Tandem Fanus in hiſtoriâ D. Ioſephi, refert, quod, cum duo

*Fanus in hiſt. S. Ioſ.*

fratres ex Ordine S. Franciſci na-
uigarent, accidit, vt graui exortâ
procellâ nauis ſubmergeretur,
& triginta, quos vehebat, homi-
nes perirent: illi autem tabulam
quandam arripientes, tribus in-
tegris diebus, & totidem nocti-
bus per procelloſum illud mare
pererrantes, D. Ioſephi auxilium
religiosè implorarunt; quorum
preces continuò exaudiens in
pulchrâ iuuenili formâ illis ap-
parens, & beneuolè ſalutãs, cor-
roborauit, & incolumes ad por-
tum duxit; ipſis autem ignoran-
tibus, quiſnam ille eſſet, ab eo e-
nixè petierunt, vt dignaretur id
aperire, quibus reſpõdit: *Ego ſum
ſanctus Ioſeph.* & confeſtim eos cõ-
monefaciens, vt ſingulis diebus
in memoriam ſeptem grauium
dolorum, quos ipſe pertulit, &
totidem gaudiorum, quibus ex-
hilaratus fuit, ſepties orationem
domi-

Dominicam, & ſepties ſalutationem Angelicam deuotè recitarent, ab oculis eorũ euanuit. Vt nemo tamen ignoret, quinã fuerint ij dolores, & quę illa gaudia, non pigebit ea hîc apponere. Septẽ dolores S Ioſephi.

1. *Matth.* 1. Primus dolor fuit, cum vidẽs ſponſam prægnantem, voluit dimittere.

2. Secundus, cum vidit Chriſtũ Dominum infantem in humili ſtabulo iacere, aëris & frigoris inclementiâ oppreſſum.

3. Tertius in Circũciſione, quando graui eius vulnere percuſſus Dominus ſanguinem fudit.

4. *Matth.* 2. Quartus, cum audiuit verba Simeonis in die Purificationis ad Mariam ſponſam ſuam dicentis: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

5. *Ibid.* Quintus, in fugâ ad Ægyptum propter Herodianam aduerſus infantẽ IESVM perſequutionem.

Sextus

6. Sextus, quando in reditu ex
*Ibid.* Ægypto in Iudæam, audiuit Archelaum filium Herodis multò illo crudeliorem regnare.

7. Septimus, cum in itinere à Ie-
*Luc.2.* ruſalem amiſit puerum IESVM.
ſeptẽ gaudia S. Ioſephi. Hæc de doloribus. Gaudia autem ſunt iſta.

1. Primum, quando perplexus,
*Matth.1.* videns grauidam Virginem, Angelus diuinitus miſſus, conſolatus eſt eum, dicens: *Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.*

2. Secundum, quando vidit An-
*Luc.2.* gelos Chriſtum in præſepio iacentem adorare, & diuinas laudes ei concinere audiuit.

3. Tertium, quando impoſuit
*Ibid.* Chriſto infanti nomen *IESVS*, quod ei reuelatum fuerat ab Angelo dicente: *Vocabis nomen eius Ieſum.*

Quar-

Quartum, cum à Simeone audiuit, futurum, vt Chriſtus Dominus auctor eſſet Reſurrectionis, & ſalutis generis humani: *in reſurrectionem & ſalutem multorum.* 4. *Ibid.*

Quintum, quando in ingreſſu in Ægyptum vidit Idola, cũ præſentiam Chriſti ferre non poſſent, in terram confracta concidere. 5. *Matth. 2.*

Sextum, quando admonitus eſt ab Angelo, tempus iam eſſe, vt cum matre & filio in Iudæam rediret. 6. *Ibid.*

Septimum, quando inuenit IESVM in templo, inter Doctores diſputantem. Qui pio hoc deuotionis genere vſus fuerit, addat ſequentes preces. 7. *Luc. 2.*

*Antiphona.*

Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in eâ natum eſt, de

Spiri-

Spiritu ſancto eſt; pariet autem filium, & vocabis nomen eius, IESVM.

℣. Ora pro nobis beatiſſime Ioſeph.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti,

*Oratio.*

Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adiuuemur: vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet; eius nobis interceſſione donetur. Qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

OFFI-



*Ergo ad monſtratum mittam mea vota Ioſephum:*
*Nam puto, ſic loquitur dextra:* PATRONVS HIC *eſt.*

Ioan Sadeler.

OFFI-

# OFFICIVM S. IOSEPH.

## AD MATVTINVM.

℣. Iesvs, Maria, Ioseph. ℣.

DOmine labia mea aperies.
℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.
℣. Deus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen. Alleluia.

*A ſeptuageſimâ vſq; ad Paſcha loco* Alleluia, *dicitur*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ:

*Hymnus.*

Ioſeph Dauid filius clarâ ſtirpe natus,

IESV CHRISTI Domini Pater nuncupat⁹,
Virgini deſponſus mente copulatus:
Vtriuſq; Cuſtos cælo deſtinatus.

*Antiphona.* Salue Patriarcharum decus, & Eccleſiæ ſanctæ Dei œconomus, cui panem vitæ, & frumentum electorum conſeruaſti.

℣. Ora pro nobis Sancte Ioſeph.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

*Oratio.*

Sãctiſſimę Genitricis tuę Spõſi, quæſumus Domine, meritis adiuuemur: vt quod poſſibilitas noſtra nõ obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Qui viuis, & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

# AD PRIMAM.

℣. IESVS, MARIA, IOSEPH. ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuan-

uandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, &c.

*Hymnus.*

Tu qui ſponſam grauidam dolens cum videres,
Cogitabas anxius an eam retineres:
Sed cæleſtis nūtius ne amplius timeres,
In ſōnis admonuit, ſed poti⁹ gauderes.
*Antiph.* Salue Patriarcharū. *vt ſup.* Ora pro nobis. &c. *Oratio.* Sanctiſſimæ Genitricis tuæ. *vt ſupra.*

## AD TERTIAM.

℣. IESVS, MARIA, IOSEPH. ℣. DEus in adiutoriū meū intēde.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Bethleem profectus cenſum ſoluturus,
Cum prægnāte Virgine vbi naſciturus
Erat mundi Dn̄s, quiq; mox facturus:
Vt ipſum infantulū eſſes amplexurus.
*Antiph. Verſ. & Oratio, vt ſupra ad Matutinum.*

# AD SEXTAM.

℣. IESVS, MARIA, IOSEPH. ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Cũ Herodes impius in pueros ſæuiret,
Gabrielis monitu ne amplı⁹ dormiret,
Retuliſti ſponſæ, ſed tecum veniret,
Et accepto paruulo in Ægyptum iret.

*Antiphona, Verſ. & Oratio, vt ſupra ad Matutinum.*

# AD NONAM.

℣. IESVS, MARIA, IOSEPH. ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, &c.

*Hymnus.*

Hoſtibus defunctis inde receſſiſti,
Et in Galilæam tecum reduxiſti,

Puerum

Puerum, & ſponſam ſicuti didiciſti
Cælitus, & Nazareth humilis vixiſti.
*Antiphona, Verſ. & Oratio, vt ſupra ad Matutinum.*

# AD VESPERAS.

℣. IESVS, MARIA, IOSEPH. ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio &c.

*Hymnus.*

O qui Ieſum factũ duodecim annorũ,
Perdidiſti tuum lumen oculorum:
Sed inuentũ poſtea in medio Doctorũ,
Cuſtodiſti ſedulus Regem Angelorum.
*Antiphona, Verſ. & Oratio, vt ſupra ad Matutinum.*

# AD COMPLETORIVM.

℣. IESVS, MARIA, IOSEPH. ℣.

COnuerte nos Deus, ſalutaris noſter. ℟. Et auerte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, &c.

*Hymnus.*

Felix quem in vlnis Ieſus cum Mariâ
Tenuit cubantem, dum in agoniâ
Spiritum efflares, vt directâ viâ
Tenderes ad Patres functus vitâ piâ.

*Antiphona, Verſ. & Oratio, vt ſupra ad Matutinum.*

## *Commendatio.*

Has horas canónicas cum attentione
Dixi ſancte Ioſeph tui ratione,
Vt ſis memor mei in oratione,
Vt viuamus iugiter in cæli regione.
Amen.

# INDEX CAPITVM.

*Cap. I. D. Ioſephi patria, parentes, ſancta natiuitas, nomen, genus, cognatio.* *fol.* 13.

Cap.

Cap. II. D. Ioſephi vitæ integritas, fabrilis ars, & cum beatiſſimâ Virgine deſponſatio. 39

Cap. III. Acta D. Ioſephi poſt deſponſationem, cauſſæ matrimonij initi, & ſalutatio Angelica. 67

Cap. IV. D. Ioſephus comes itineris ad Eliſabetham. 90

Cap. V. D. Ioſephus ſponſam grauidam aduertens, eius dimittendæ conſilium captat, ſed ab Angelo confortatus vxorem ducit. 99

Cap. VI. D. Ioſephus Auguſti edicto pariturus, cum B. Virgine Bethlehemum proficiſcitur. 123

Cap. VII. D. Ioſephus circumciſo Infantulo SS. Nomen IESV imponit. 135

Cap VIII. D. Ioſephus Magorum adorationi adeſt, iisq; colloquitur. 146

Cap. IX. D. Ioſephus Mariam cum IE-SV infantulo legis obſeruandæ gratiâ Ieroſolymam deducit. 159
Cap. X. D. Ioſephus angeli monitu puerum cum matre ducit in Aegyptum. 168
Cap. XI. D. Ioſephus Virginem matrem cum puero IESV Nazaretham reducit. 178
Cap. XII. Reliquus vitæ D. Ioſephi curſus, & pueri IESV in templo inuentio. 191
Cap. XIII. D. Ioſephus fabrilem artem, ſubſeruiente ſibi Chriſto exercet. 210
Cap. XIIII. Feliciſsimus D. Ioſephi ex hoc mundo tranſitus. 221
Cap. XV. S. Ioſephi gloria in cælis, patrocinium, & miracula. 242
Officium S. Ioſeph. 271

FINIS.

## *Oratio S. Bernardini Senenſis ad S. Ioſephum.*

*D. Bernar. tom. 3. ſer. de S. Ioſep.*

MEmento noſtri, beate Ioſeph, & tuæ orationis ſuffragio apud tuum putatiuum filium intercede: ſed & beatiſſimam Virginem Mariam, ſponſam tuam, nobis propitiam redde, quæ mater eſt eius, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

## *Oratio R. P. P. Ioannis Michaëlis Conſtantienſis ad eundem.*

*Man. Exercit. cap. 1.*

AVE per ſuauiſſimum Cor IESV beate Ioſeph ſponſe Dei genitricis & Virginis dilectiſſime: Domini noſtri IESV Chriſti Pater nutritie. Patriarcharum felix clauſula; In humilitate profundiſſime. In fide & ſpe certiſſime: In amore ardentiſſime: In boni operatione ſtrenuiſſime: Pro omnium ſalute ſollicitiſſime: In contemplatione altiſſime;

me: In virginitate puriſſime: In omnium virtutum perfectione Dei genitricis tuæ ſponſæ ſimilis. Eia ora pro me, meisq; omnibus, & ſpecialiter pro nouitijs in Ordine noſtro diſcretè ſuſcipiendis multiplicandis, debitè inſtruẽdis, fouẽdis & perficiẽdis: Sic vt populus Deo ſeruiens in diebus noſtris & numero & merito augeatur. Amen.

Cum facultate Superiorum.

LITANIAE

# BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

## PRO FÆLICI MORTE ET GRATIA AD *hanc neceſſaria obtinenda.*

## ADMONITIO.

*CIRCA Litanias B. Virginis notandum eſt ab hinc annis aliquot, viros nonnullos Religioſos conueniſſe, vt eas pro ſe inuicem recitarent pro fælici morte & gratia ad hanc neceſſaria obtinenda. His ſe iunxerunt in Italia, Hiſpania, India, Gallia, Germania, multa millia hominũ. Ad hoc, vt quis particeps ſit precum iſtarum, 1. Oportet vt id ei conceſſum ſit ab aliquo facultatem ad hoc ab Autore habente. 2. Vt quotidie eas recitet cum oratione ad S. Ioſephum, hîc poſita. 3. Vt ipſe dicat has preces pro omnibus, ſicut omnes pro ipſo. 4. Vt recitet pro fælici morte & gratia ad hanc neceſſaria.*

KYrie Eleiſon.
Chriſte Eleiſon.
Kyrie Eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Chriſti,
Mater diuinæ gratiæ,
Mater puriſſima,
Mater caſtiſſima,
Mater inuiolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Saluatoris,
Virgo prudentiſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,

Ora pro nobis.

Virgo fidelis,
Speculum iuſtitiæ,
Sedes ſapientiæ,
Cauſa noſtræ lætitiæ.
Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne deuotionis,
Roſa myſtica,
Turris Dauidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca.
Ianua cœli,
Stella matutina.
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum.
Auxilium Chriſtianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſorum,
Regina Virginum,
Regina ſanctorum omnium,

Ora pro nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

## AVE MARIA.

SVb tuum præſidium confugimus S. Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed á periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta. Domina noſtra, mediatrix noſtra, aduocata noſtra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræſenta.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

## OREMVS.

GRatiam tuam quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde, vt qui Angelo nuntiante Chriſti filij tui incarnationem cognouimus, per Paſſionem eius & Crucem ad Reſurrectionis gloriam perducamur, Per eundem Chriſtũ Dominum noſtrum, Amen.

℣. Ora pro nobis Beatiſſime Ioſeph.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

# OREMVS.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ ſpōſi quæſumus Domine, meritis adiuuemur, vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

*Conceſſit Leo X. p. m. omnibus Chriſtifidelibus indulgentias mille dierum, dicentibus vnum AVE MARIA, quandocunq; hora auditur. Confirmauit autem Anno 1611. Papa Paulus V.*

FINIS.

MONACHII.

CIƆ. IƆC. XVI.




*Cum gratia et priuilegio Sacra Cæsar. Maieſt.*

Ex formis Annæ Bergiæ Viduæ.

*Apud Raphaëlem Sadelerum*
*Iconographum Venalis.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
PADERBORN